


De 985



3535







DE
PRONOMINIBUS ARABICIS

DISSERTATIO ETYMOLOGICA.

SCRIPSIT

CAROLUS ENEBERG.

II, 1.

PRONOMINA PERSONALIA.



HELSINGFORSIAE,
TYPIS FRENCKELLIANIS,
1874.



DE
PRONOMINIBUS ARABICIS

DISSERTATIO LINGVISTICA

CAROLUS LUDWIG

1877

PRONOMINA PERSONALIA

HABESSE



Quoniam in priore hujus dissertationis parte de simplicibus pronomibus semiticis, praecipue arabicis, disputavi, in eorum et originem et conformationem, ut vires meae tulerunt, inquirens, nunc quibus modis legibusque exstiterint pronomina composita, considerandis atque comparandis eis, quoad potero, exsequar. Neque hanc quaestionem nisi magno negotio ad exitum posse adduci, satis perspectum habere debent, quicumque hoc studium naturae linguarum semiticarum investigandae vel leviter attigerunt aut in qualibet lingua contenderunt, ut leges pronominum conformandorum ceterarumque vocum cum illis cohaerentem flexuram eruerent. Nihilominus tamen spero, hanc, ad quam nunc aggrediar, quaestionem illâ, quam jam absolvi, minus difficultatis habituram et ad certiora perventuram, cum praesertim pronomina composita naturam suam etymologicam, illam dico, quae in eorum compositione consistit, planius omnino quam simplicia indicent. Haec enim, quippe quae non solum pauca sint, verum etiam particulis, eisque ambiguis, magnam partem contineantur, saepissime non possunt, nisi cum ceteris partibus orationis sono comparata, explanari, illa vero, cum et usitatissima sint et multas variasque species sibi induerint, ipsa, qua ratione ex simplicibus conformata sint, non raro aperiunt, ut in eis perquirendis opus non sit ad similitudinem vocum enunciativarum confugere. Jam vero earum rerum, quas de simplicibus



bus pronomibus exposui, quamvis nonnullae, ut facile concedo, pro certis haberi non possint, haud paucas tamen ad composita illustranda plurimum valere, quis est, qui non intelligat? Veluti, ut id tantum moneam, toti illi de permutationibus consonarum loco, unde pronomina pendent omnia, quod in hac parte addam vix habeo.

Neque tamen ejusmodi in hanc quaestionem quadrare mihi videtur ratio, ut eis rebus, quibus comprobandis in priore parte operam impendi, disputandi fundamentis utar. Nam primum, ut jam significavi, pars earum, cum incerta sit, ne potest quidem efficere, ut certi aliquid decernatur. Deinde, si hanc totam disputandi materiam ex radicibus illis stirpibusque pronominum simplicium divisero, verendum est, ne studio dispertiendi praeter modum indulsisse atque ordini disquisitionis bene institutae plus quam veritati consuluisse videar. Postremo me non fugit, divisionem ita comparatam, quominus quasi in uno conspectu proponi possint pronomina, haud mediocriter prohibere. Quibus de causis quaestionem ita potius instituendam esse puto, ut formas pronominales compositas, quales in Semitismo supersunt, ad originem referre studeam, praesertim cum videam fore, ut hanc viam secutus quodam modo etiam ostendere possim, utrum pronomina simplicia recte explicarim neque.

Numerus vero pronominum compositorum, si et quae in lingua arabica inveniuntur et quae his cognata sunt spectaveris, tantus est profecto, ut ab omnibus enodandis deterrear. Nec negaverim, compositionem pronominum, quamquam omnino facilior sit perspectu quam primordia eorum, tamen nonnumquam praecipueque in particulis perobscuram esse, vix ut conatum ejus explicandae capere sit operae

pretium. Quam ob causam disputationem meam his terminis circumscribam, ut non alias formas tractem, nisi quarum enodatio majoris aliquanto esse videatur momenti atque ita possit fieri, ut satisfaciat, si non illi, qui unamquamque soni permutationem argumentis tamquam mathematicis confirmatam velit, at ei saltem, qui, quantum in comparatione linguarum probabilitas habeat ponderis, intelligat. Ejusmodi autem non sunt fere nisi pronomina, quae proprie dicuntur, et eorum reliquiae verbis nominibusque adjunctae. In his igitur disputatio nostra maxime versabitur.

Ex his autem pronomibus personalia, cum maximi sint momenti, quia vocum flexura, id est pars etymologiae gravissima, cum eis artissime cohaeret, et primum et maximum, ne dicam majorem quam cetera universa, requirere locum, putaverim. Qua re adductus, posteriorem totius dissertationis partem in duo capita dividam, quorum prius personalium, posterius ceterorum pronominum formationem docebit. Quoniam vero illud prius caput suis certis finibus circumdatur, solum per se uno volumine complecti neque a proposito neque a totius libri dispositione alienum esse mihi videtur.

Hoc igitur libello pronomina personalia tractabo. In qua re absolvenda, quamquam ad arabica praecipue me spectare inscriptione hujus libelli indicavi, tamen, ut, quam rationem ea cum ceteris habeant, demonstrarem, haec quoque, cum, quae cognatio eis cum illis sit, perspicere potero, explanabo. Neque est quod dubitem, quae potissimum mihi via in hac quaestione ingredienda sit. In formis enim primae et secundae personarum pars quaedam inest, quae, nisi enucleatio tertiae personae praecesserit, recte explicari vix possit. Itaque primum de pronomibus tertiae personae

et de suffixis, affixis praefixisque vocum, quae eis cognata sunt, deinde de primae, postremo de secundae personae formis disputabo. Harum autem trium partium, in quas tota de pronomibus personalibus disputatio dividenda est, primam, cujus e formis plurima vocum additamenta orta sint, maximam fore, perspicuum est.



I.

Pronomina tertiae personae tractare incipienti, mihi primum singulas eorum formas enumerare necesse est. Habent igitur singulae semiticae dialecti has pronominis tertiae personae formas separatas: arab. masc. sing. huva, fem. hija, masc. plur. hum vel humû, fem. huña; aethiop. masc. sing. v^eetû, fem. j^eetî, masc. plur. v^eetômû v. emûntû, fem. v^eetôn v. emântû; hebr. masc. sing. hû, fem. hî, masc. plur. hēm v. hēmāh, fem. hēn v. hēnāh; syr. masc. sing. hû, fem. hî, masc. pl. henûn v. enûn, fem. henên v. enên; chald. masc. sing. hû, fem. hî, masc. pl. inûn v. himôn v. himô¹, fem. inîn² v. inên³; — amhar. masc. sing. ersû, fem. ersvâ, comm. plur. ersât⁴av⁴; tigrens. masc. sing. hotu, hu, fem. heta, masc. plur. hotum, fem. hetum⁵; tigrinensis masc. sing. n^esû, fem. n^esâ, masc. plur. n^esâtôm, fem. n^esâtan⁶; himjar. (suff.) masc. sing. 𐤇𐤍 v. 𐤇, masc. plur.

1) In Esr. 5, 11 nominat., alibi, ut himôn, acc. Cfr. Luzzatto, Gramm. der bibl. chald. Sprache u. des Idioms des Thalmud Babli, herausgeg. von M. S. Krüger, p. 12; Gesenii Thes. p. 383.

2) Dan. 7, 17; Luzatto, l. c.

3) Gesenii Thes. p. 126.

4) Isenberg, Gramm. of the Amharic lang. p. 43.

5) Beurmann, Glossar der Tigre-Sprache, bearb. u. herausgeg. von A. Merx, p. 79.

6) Praetorius, Gramm. der Tigrinasprache in Abessinien, p. 154.

המרי (המרי) ¹; mehriensis masc. sing. he, fem. sê, masc. pl. hêm v. habû, fem. sên ²; arab. vulg. masc. sing. hué, hu, fem. hijé, hi, masc. plural. hom (human), fem. hoñé ³; samar. masc. sing. hv ⁴ (hv), fem. hj ⁴ (hj), masc. plur. חננ, fem. חנן, com. חנן ⁴; punica masc. sing. hy (הא) ⁵; mand. masc. sing. הה, fem. הה, masc. plur. ההה, fem. ההה v. ההה ⁶; assyr. masc. sing. שׂא ⁷, su ⁸, fem. שׂא ⁷, si ⁸, masc. plur. שׂא, שׂא, sunut, sunu ⁸, fem. שׂא, שׂא, sina ⁸; rabbinica ⁹ masc. sing. hû, inhû, ihû, nînhû, nîhû, fem. hî, inhî, ihî, nînhî, nîhî, comm. hâ, ahâ, ihâ, nîhâ, nînhâ, înhâ, masc. plur. înhû ¹⁰, inhû ¹¹, ihô, nîhô, nînhô, hanhû, hañê ¹², fem. înhî ¹³, inhî ¹⁴, ihê, nîhê, nînhê, hanhê, hañân ¹⁵; neo-syriaca masc. sing. hau (au,

1) Hae solae formae inventae sunt, non ipsa pronn. Vid. Osiander (Zeitschr. d. DMG, Bd. XX, p. 243).

2) Freih. v. Maltzan (ZDMG, Bd. XXV, p. 200).

3) Caussin de Perceval, Gramm. arab. vulg. p. 89. Wahrmundius (Praktische Gramm. der Neuarab. Spr. I, p. 176) masc. sing. húa, fem. hîje, m. pl. hum, húma, húman, fem. hunna (selten) scribit.

4) De his pronomibus, quorum vocales non expressi, vid. Uhlemanni Institutiones linguae Samaritanae, pp. 27 sq.

5) Plauti Poen., I, 8. Cfr. Schröder, die Phöniz. Sprache, pp. 144, 211.

6) Nöldeke, Über die Mundart der Mandäer, p. 104. Formam ההה cel. Nöldekus ipse mihi tradidit.

7) Oppert, Gramm. assyr. p. 29.

8) Schrader, Die assyr. babyl. Keilinschr. (ZDMG, Bd. XXVI, p. 245).

9) Cfr. Fürst, Chald. Gramm. p. 238.

10) Levy, Chald. Wörterb. I, p. 40.

11) Luzzatto, l. c. p. 69.

12) Levy, l. c. I, p. 202. Hupfeldii sententia (System d. sem. Demonstrativbildung, p. 128) forma hañê est generis feminini.

13) Levy, l. c. I, p. 40.

14) Luzzatto, l. c. p. 69.

15) Praeter has formas variatas alias quoque nonnullas invenias. Ve-

ô), fem. hai (ai, ê), comm. plur. ânî¹. His conferas velim ejusdem personae pronomina hieroglyphica: masc. sing. entuf², ntuv, ntev³ (suff. -f, -v), fem. entus², ntûs, ntes³ (suff. -s), comm. plur. entusen, ntûsen, ntesen, entu-u, comm. sing. et plur. su, sû⁴; coptica: masc. sing. ntof, fem. ntos, comm. plur. ntoou⁵. E quibus formis quamquam singulae singulis comparatae suam quaeque vim habent ad rem illustrandam, accuratius tamen eae tantummodo observandae sunt, quae principalibus linguis semiticis, arabica, aethiopica, hebraica, syriaca, chaldaica continentur, quia quibus legibus hae pareant, medioeriter, quibus ceterae, parum novimus.

Ea vero mihi ratione, de illarum dialectorum praecipuarum formis quaerenti, utendum esse puto, ut primum eis, quae maxime perspicuae sint et vestigia quaedam antiquitatis servarint, enodandis pronominis tertiae personae quasi incunabula investigem, deinde, quo modo formae principales sic inventae in reliquis species notasque ejusdem personae versae sint, invenire studeam.

Formas igitur hujus personae linguarum, quas modo dixi, proprias considerantes, omnes, exceptis aethiopicis pluralibusque aramaicis ʾiñûn, ʾenûn, ʾiñîn, ʾiñên, ʾenên ab *h* sono incipere videmus. Ex his tamen aramaicas illo ʾ post

luti Zschokkeus (Institutiones fundamentales linguae aramaicae, p. 25) masc. plur. hiñûn, fem. hiñên (item Gesenius in Thes. I, p. 126), hiñên, ʾinhên, ʾinhê affert.

1) Nöldeke, Gramm. d. neusyr. Sprache, p. 74.

2) Brugsch, Hieroglyphische Gramm. p. 12.

3) Maspero, Pronoms personnels en Égyptien (Journ. Asiat. VI série, tome XVIII, p. 81).

4) Brugsch, l. c.; Maspero, l. c. p. 72.

5) Schwartz, Koptische Gramm., p. 341.

attenuatum spiritum asperum instructas esse, vel inde perspicitur, quod *h* etiamnunc cum in ejusdem personae numerique formis variatis (*hiṁōn*, *hiṁō*, *henûn*, *hênên*) et suffixis (*hûn*, *hên*) tum in *hû*, *hî* sing. numeri inest. Aethiopicas quoque formas *h* sonum primo loco quondam habuisse, probabile est, quia eis respondentia pronomina ceterarum dialectorum haud aliter comparata sunt. Ac ceteris quidem hujus linguae formis praeter *emûn-tû*, *emân-tû* pluralis numeri sonus ille primo saltem aspectu tribuendus esse non videtur, cum has phonetice quoque aliarum linguarum formis pluralibus (arab. *humû*, syr. *enûn* al.) congruere manifestum sit, contra inter *v^{ee}tû*, *j^{ee}tî*, *v^{ee}-tômû*, *v^{ee}tôn* et cetera tertiae personae pronomina major quaedam soni discrepantia intercedat. Sed hanc dubitationem, re paulo diligentius considerata, non magni momenti esse, apparet. Nam, syllabis finalibus *tû*, *tî* missis, quae, ut *sen-tû*, *šâ-tî* al.¹ ostendunt, non sunt nisi additamenta demonstrativa, si *v^{ee}* et *j^{ee}* cum ceteris formis hujus personae singularibus comparamus, non possumus non confiteri, *v* (*u*) et *j* (*i*) sonos, qui illis cum his communes sunt quique ipsi horum omnium quasi medullam efficiunt, communem eis esse originem significare, praesertim cum aethiopica, quae huc pertinent, suffixa cum aliis suffixis singularibus plane conspirent. Itaque et singularibus formis *v^{ee}-tû*, *j^{ee}-tî* et pluralibus *v^{ee}-tômû*, *v^{ee}-tôn*² sonum *h* quondam praefixum fuisse, apparet³; quam ob rem, eum in omnibus dialectis principalibus primum locum in formis tertiae personae accepisse, concludimus.

1) Cfr. I, p. 55.

2) Has formas plurales e masculina singulari ortas esse, in aperto est.

3) Cfr. tigrens. *ho-tu*, *he-ta* al.

Nec vero in considerandis singulis pronomibus supra allatis quemquam fugere potuit, in nonnullis aliis dialectis sonum quendam sibilantem vices istius *h* gerere et aperte quidem in assyrica et himjarica¹. Quae quidem res, cum has linguas e vetustissimis esse concedendum sit, nos quasi impellit, ut *h* a sibilanti litera ductum putemus, eoque magis, quo minus in dubitationem vocari potest, quin *h*, ut in linguis indogermanicis, ita etiam in semiticis² e sono sibilanti emanarit. Accedit, quod in lingua illa antiquissima hieroglyphica, cujus pronomina personalia ad similitudinem semiticorum quam proxime accedunt, eadem fere tertiae personae forma (su) exstat atque in lingua assyrica. Et tamen quia, quo tempore facta sit ea *s* soni in *h* permutatio ac cum quibus formis, quas sibi paulatim induerint pronomina tertiae personae, conjungenda, plane nescimus, vix quemquam, opinor, offendet, quod infra *h* sonum primum locum in his pronomibus obtinentem faciam.

Illo igitur sono constituto, primum formas singulares Semitismi meridiani, qui vocatur, restituere conemur. In hac quaestione, pronomina aethiopica $v^{e\circ e}$ et $j^{e\circ e}$, quibus *h* illud praefixum fuisse diximus, $hv^{e\circ e}$ et $hj^{e\circ e}$ sonare non potuisse, facile intelligitur, siquidem istiusmodi enunciandi ratio naturae linguarum semiticarum repugnat³. Neque tamen difficultatem, quae memoratu digna sit, ea res affert. Etenim cum inter *v* et *u*, *j* et *i* quam minimum sit discrimen,

1) Ejusdem naturae sibilantem literam esse in femininis mehriensibus, sing. *sê*, pl. *sên*, verisimile est. Contra formae tigrinenses *nesû*, *nesâ* e voce *nafs animus* et suffixis *-û* (-u), *-â* compositae videntur, similiterque amharica *ersû* e transposito *re's caput* et suff. *-û* (Praetorius, l. c. p. 155).

2) Vid. I, pp. 27—30.

3) Cfr. I, p. 10 sq.



adeo ut eodem fere modo in linguis semiticis efferantur, pro vocibus illis a natura Semitismi discrepantibus nobis hu^{e>e} et hi^{e>e} substituenda esse, patet. Quibus si arab. huva, hija comparamus, haec sonum non habere videmus, qui illorum *e* priori respondeat, neque in formis tertiae personae ceterarum dialectorum signum ullum reperimus, quod causam nobis praebeat suspicandi, istud *e* stirpis partem fuisse. Ex hoc autem colligimus, id quod comparatione etiam ommissa pro verisimillimo haberi oportuit, vocalem, de qua quaeritur, ad pronunciatum faciliorem reddendum *v* et *i* sonis in *v* et *j* se convertentibus additam esse. Itaque formae hu^{e>e}, hi^{e>e} ad hu^{v>e}, hi^{v>e} revocandae sunt. Sed arabicis pronomibus in comparationem rursus vocatis, aethiopica novam sumunt speciem. Nam illorum *a* finale, quod lingua vulgaris in *e* mutavit, in his quoque fuisse, eo manifestius apparet, quod certum est, *e* sonum et secundariae esse naturae et in lingua aethiopica ex *a*¹ persaepe exstitisse. Jam vero Aethiopum formae in hu^{v>a}, hi^{v>a} ita redactae, unde Arabum huva, hija proxime ducta sint, ostendunt. Nam quod ubi illae *v* sonum, ibi hae *v* aut *j* habent, nullam hujus dissimilitudinis rationem afferri posse putaverim probabilior, quam si Arabes hu^{v>a}, hi^{v>a} in huva, hija mutasse statuamus, praesertim cum ejusmodi transitus legibus sonorum arabicorum plane conveniat. Velut, ne exempla plane negligere videar, labu^{v>atu}ⁿ in labuvatuⁿ, fi^{v>atu}ⁿ in fijatuⁿ² cet. apud Arabes abiisse constat.

Sequitur, ut pronomibus hebraicis chaldaicisque hū^{v>}, hī^{v>} atque syriacis hū, hī scrutandis, quo vinculo ea cum

1) Dillmann, Gramm. d. Aeth. Sprache, p. 29 alib.

2) Lagus, Ar. Gr. p. 24.

illis, quae supra explanavi, connectantur, investigem. Sed hoc, licet ne nunc quidem probabili careat explicatione, tum demum planius demonstrare poterò, cum ab alia quadam parte nova, quibus quae primitivae pronominis tertiae personae formae fuerint ostendatur, arcessivero argumenta. Quae quidem spero fore ut nobis suppeditentur haud levia, formis pluralibus ejusdem pronominis diligentius considerandis aliisque rebus nonnullis explicandis. Plurales igitur formas nunc inspiciamus.

In quibus haud scio an plurimum habeant admirationis soni *m* et *n*, quorum ille inest in arab. humû, hum, aeth. ʾemûn, ʾemân, chald. hiṁôṁ, hiṁô al., hic in medio syr. ʾentûn, ʾenên, chald. ʾiñûn, ʾiñîn cet. Neque defuerunt sane, qui eos interpretarentur; sed alii alio modo¹. E quibus, cum parum ad quaestionem solvendam contulisse mihi videantur, nolo commemorare nisi Ewaldum, quo omnino leges linguarum semiticarum nemo eruerit subtilius. Is tamen de his sonis sententiam aperuit eam, cui minime possim assentiri. Nam pluralem numerum semiticum voce quadam mûn vel môn, quae eadem sit atque hebr. m^elô ʾplenitudo, multitudo, expressum esse idque his ipsis *m* et *n*, quae in formis pluralibus supra allatis insunt, confirmari putat²; quae opinio quantum a veritate aberret, vix opus est demonstrare. Quid enim? istiusmodi commune semiticum mûn, cujus neque naturam neque cum hebr. m^elô ʾcognitionem ullo modo cognitam habemus quodque conjectura sola fictum est, num pluralem numerum procreasse su-

¹) Cfr. Merx, Gramm. syr. pp. 158, 167; Bickell, Grundriss der hebr. Gramm. p. 12; Benfey, Über das Verhältniss der ägyptischen Sprache zum semitischen Sprachstamm, pp. 39, 93; Dietrich, Abhandl. zur hebr. Gramm. pp. 77 sq. al.

²) Ausf. Lehrb. der hebr. Sprache, p. 465.

mere licet? Minime vero. Praeterea exitus hujus numeri, quales sunt -ân al., ex isto mûn ne potuisse quidem nasci, quis est, qui non videat? Hac igitur de plurali numero conformando illisque *m* et *n* sonis sententia, quam pauci secuti sunt¹, rejecta, alia eorum sonorum quaerenda nobis est origo. De qua re quid sentirem quamquam superiore jam loco² leviter significavi, tamen hic fusius dicam. Velim igitur compares inter se tres formas plurales masculini generis has: arab. humû, aeth. ʔemûn, syr. henûn. In his omnibus duo clare apparent elementa, quorum utriusque quae sint partes novimus. Primum enim terminationes -û, -ûn non alias esse quam eas, quae plurimas verborum nominumque semiticorum efficiunt formas plurales masc. generis, ideoque hic quoque, si non solas per se, id quod infra elucebit, at cum aliis sonis conjunctas, pluralis numeri signum esse invenimus. Deinde primas syllabas hu-, ʔe-, he- tamquam ante oculos nostros ponentes, si aethiopicum *e* arabico *u* quoque respondere atque *u* vocalem pronominis syriaci tertiae personae sing. in suff. (-eh³) *e* sonare recordamur, unde eae ortae sint, ignorare non possumus, siquidem in numero singulari jam insunt ob eamque causam ei debent originem. Haec inter elementa quodam modo cognita, altera hu-, ʔe-, he-, altera -û, -ûn, *m* et *n* sonos tamquam interjectos aut in singulari numero principio fuisse aut ad pluralem fingendum additos esse, jam cogitatione sola comprehendimus. Sed quoniam nulla restant vestigia notae numeri pluralis hujus generis a *m*

1) Cfr. Schrader, De linguae aethiopiae indole universa p. 70; Vogel, Die Bildung des persönlichen Fürwortes im Semitischen, p. 13.

2) I, p. 42

3) De hoc infra.

vel *n* incipientis, sane habemus causam, cur hos sonos ad singularem esse referendos putemus. Neque tamen haec sententia probari posset, si *ii* in singulari numero nusquam reperirentur. Sed aliter se res habet. Neque enim tam pauca supersunt signa, quae in singulari numero pronominis tertiae personae *m* vel *n* quondam fuisse ostendant. Horum nonnulla breviter describere conabor.

Ac primum quidem eorum in ejusdem personae numerique suffixo punico apparet, utpote quod non tantum *ʔ*, *ʕ* literis, sed *□* quoque notetur. Atque haec quidem forma, testibus Ewaldo¹, Schlottmanno², Schroedero³ al. jam satis confirmata, nos non adducit solum, verum etiam cogit, ut pronomen, quod suffixo responderit, *m* consona elatum esse existimemus. — Reliqua vero ejusdem rei indicia non ex pronomibus, sed ex praefixis et affixis quibusdam haurienda sunt. Quorum apertissima imperfecto verborum contineri mihi videntur. Hoc igitur paulo accuratius consideremus. In quo ne dubitare quidem possumus, quin praefixa, eo solo excepto, quod femininum tertiae personae sing. (et dual.) sibi assumpsit, personam et, si ad primam personam spectent, numerum quoque significant. Itaque praef. *ta-* in formis arab. *taqtulu* (masc. 2 pers. sing.), *taqtulīna* (fem. 2 pers. sing.), *taqtulūna* (masc. 2 pers. plur.), *taqtulna* (fem. 2 pers. plur.) secundam personam, *ja-* in *jaqtulu* (masc. 3 pers. sing.), *jaqtulūna* (masc. 3 pers. plur.), *jaqtulna* (fem. 3 pers. plur.) tertiam, *ʔa-* in *ʔaqtulu* primam sing., *na-* in *naqtulu* primam plur. declarant. Quod vero ad feminini generis tertiae per-

¹) Zeitschr. für die Kunde des Morgenlandes, Bd. IV, p. 413 alib.

²) Zur sem. Epigraphik II (Zeitschr. d. DMG. Bd. XXV, pp. 164 sqq.), alib.

³) Die Phön. Sprache, pp. 144, 155 sq.

sonae sing. praefixum ta- (taqtulu) attinet, de notione ejus vix potest ambigi; hanc enim personam, cum in singulari numero affixo, differentiam generum exprimente, caret (masc. jaqtulu, fem. taqtulu), ei rei ita subvenisse, ut ad femininum designandum ja- praefixo substitueret ta-, eo clarius apparet, quod femininum plurale ejusdem personae (jaqtulna), affixo mutato a masculino (jaqtulna) distinctum, idem atque illud habet praefixum¹, contra quae his respondent formae duales, uno eodemque instructae affixo, praefixa, qualia in tertia pers. sing. usu recepta sunt, sibi induerunt (masc. jaqtulâni, fem. taqtulâni). Quin autem haec praefixa, personam indicantia, ex personalibus pronomibus nata sint, non est quod dubitemus. Quamquam enim, quo tempore haec pronomina primum pro praefixis usurpari coepta sint qualesque eorum formae tum fuerint, ad liquidum explorari vix potest, tamen pro praefixis ea habita esse, similitudo haudquaquam fortuita, quae secundae et primae personarum praefixis est cum pronomibus, nobis persuadet. Cfr. ʔan-ta (hebr. ʔaʔāh) et ta-qtulu, ta-qtulîna, ta-qtulûna, ta-qtulna; ʔan-â et ʔa-qtulu; nalînu et na-qtulu¹. Tertiae igitur personae praefixum esse partem pronominis ejusdem personae reliquam ducendum est. Cum vero hoc praefixum in dialecto syriaca *n* consonam contineat (masc. sing. neqtûl, masc. plur. neqt-lûn, fem. neqtlân), hanc etiam in illo pronomine primo fuisse concludimus. Imperfecti vero verbi semitici quamquam vix ulla persona praeter tertiam videtur pronomi-

1) Lingua hebraea sola, ut singularis, ita pluralis quoque tertiae personae, cujus genera diversa jam affixis indicentur, praefixa tamen tribuit inter se discrepantia (m. sg. jiqtôl, fem. tiqtôl, m. pl. jiqtlû, f. tiqtôlnâh).

1) De hac re uberius infra.

num ejusdem personae signa continere posse, tamen secunda etiam persona vestigiis eorum pronominum non omnino caret. Quod ut nobis appareat, genus femininum sing. num. hujus personae in dialectis arabica et syriaca dispiciamus. Et in illa quidem forma ejus est ta-qtul-îna, in hac te-qtî-în (chald. ti-qtî-în). Quarum cum praefixa, ut supra dixi, ad personam spectent, certe terminationes -îna, -în ad numerum et genus significandum valent, vel, ut brevius dicam, femininum sing. exprimunt. Ortum vero exitus -îna (decurt. -în) a quo fonte repetere debeamus, incerti esse non possumus, siquidem neque rationi linguarum semiticarum convenit statuere, illud (ta)qtulîna e duabus vocibus enunciativis compositum esse, neque ququam unquam, quantum equidem scio, rem ita se habere, non dicam, argumentis comprobavit, sed sumpsit omnino. Itaque principium terminationis, cujus mentionem feci, pronomen fuisse, elucet. Hoc vero, quin aut secundam aut primam aut tertiam per se significaret personam, fieri non potuit. Atqui neque opus est ponere secundam significatam esse, quoniam taqtulîna ejus vim per praefixum jam exprimit, et natura etymologica illius -îna, id quod nemo his rebus vel mediocriter imbutus ignorat, quominus eam fuisse originem sumamus, prorsus impedit. Ad primam autem cur animum hac in re intendamus, ne minimam quidem causam habemus. Restat igitur tertia persona. Sed quascunque formas pronominales, quibus potestas et hujus personae et feminini singularis subjecta est, consideramus, nullam sane illi -îna similiorem possumus reperire quam femininum pronominis personalis tertiae personae (ta-qtulîna i. q. *tu-interficere-ea* v. *tu-ea-interficere* v. *tu, femina, interficere*). Nam primum utriusque *i* sonus communis est, et quidem ita, ut ad omnes fere dialectos pertineat; deinde in

linguis hebraica atque aethiopica inter hanc terminationem, quae ibi decurtando in -î abiit, et usitatissimum illud femininum hî intercedit discrimen tam parvum, ut vix commemoratione dignum videatur. Hoc igitur pronomem ex eodem principio atque -îna ortum esse ob eamque causam *n* vel *m*¹ sonum, quo nunc caret, olim continuisse, jure colligere mihi videor. — Postremo, si pronomina personalia fuisse principio demonstrativa consideraverimus, in his quoque haud pauca esse inveniemus, quibus sententia nostra confirmetur, velut, ne alia nominatim proferam, illud ʔan, quod pronomibus primae et secundae personarum est praefixum².

Si igitur, ut paucis quae jam dixi complectar, perpendimus primum, *m* vel *n* in formis pluralibus pronominum tertiae personae ante exitum, huic numero proprium, inveniri, deinde nonnullas esse reliquias pronominales, quae eundem sonum etiam in singulari numero horum pronominum re vera fuisse demonstrent, facere non poterimus, quin eum omnibus illius numeri formis primigeniis communem fuisse statuamus, praesertim cum vix ulla reperiatur dialectus paulo notior³, cujus pronomina tertiae personae illud *m* vel *n* non eodem ipso loco (num. plur.) quo arabica, aethiopica, syriaca habeant.

Quibus expositis, a formis pluralibus inter se comparatis supra, arab. humû, aeth. ʔemûn, syr. henûn, singulares posse discerni, apparet, quae quidem proxime referunt species hum, ʔem, hen, deinde, aeth. ʔe- et syr. he-⁴ in hu- redactis, hum et hun.

1) De horum mutua ratione vide infra.

2) Cfr. de ejusmodi vocalis demonstrativis Philippi, Wesen und Ursprung des Status constructus im Hebräischen, pp. 185 sqq.

3) Cfr. hebr., chald., neoarab., samarit., assyr., neosyr., etiam himjar.

4) Syros illud *e* ab *u* quodam derivasse, suffixum, quod supra (p. 12) nominavi, demonstrat. Hoc vero *u* longumne an breve putari debeat, permutationibus demum vocalium quarundam infra expositis, elucebit.

Hic autem quaeritur, utrum *m* an *n* sono priores defendendae sint; nam unum eundemque initio fuisse, existimandum est, quandoquidem non solum uterque eundem plane locum in his pronomibus habet, sed etiam ambo inter se persaepe commutantur¹. Cui quaestioni equidem nondum ita responderi posse crediderim, ut id, quod statuerimus, argumentis idoneis confirmetur; neque ullo modo, quae Philippus², ut imitationem semiticam a nunatione trahere originem ostenderet, de hac re disputavit, mihi probantur; quod sane eo minus est, cur mirere, quia ille vix sibi ipse de hac etymologia persuasit. Hoc cum ita sit, equidem solam esse verisimilitudinem hic sequendam puto; quo facto, majorem antiquitatem sono *m* tribuendam esse, cur censeam, satis causae est. Ea enim in linguis certe indogermanicis illorum sonorum inter se ratio est, ut *n* in *m* mutetur fere tantummodo labiali literae praecedens, interdum tamen, sibilanti litera sequente, *m* contra in *n* cum alias nonnumquam tum saepissime in fine vocum³. Illarum igitur formarum hum et hun priorem aetate esse hum, non possum non ducere.

Nunc videamus, quo modo haec vox altera ex parte erutae jam formae hu^a dialectorum Semitismi meridiani, altera hebr. et chald. hû^a, syr. hû cognata sit. Primum igitur hum et hu^a, quin ex uno eodemque principio orta sint, dubium non est. Quod quamquam forsitan quispiam opinetur fuisse hu^am, quia ex eo haud dubie hu^a natum est, tamen mihi id verisimile non videtur, cum ejus-

¹) I, pp. 40 sqq.

²) l. c. pp. 181 sqq.

³) Vid. Schleicher, Compend. pp. 151, 185, 186, 193, 205, 276, 281; Heyse, System d. Sprachw. p. 304.



modi permutationi sonorum, qua hu²am in hum contractum sit, in lingua aethiopica nullus, ut equidem sentio, sit locus¹. Quam ob rem origo illa communis altius nobis est repetenda, et quidem a forma, quae eadem et in hu²am et in hum verti possit. Nec vero aliam hic reperire vel, si mavis, fingere licet, nisi hvam, quam, cum va retineret, ut hu²am pronunciari, cum contraheret, in hûm², corrept. hum, mutari necesse fuit. In quo haud erit supervacaneum monere, illud hvam vocem veram, quae his sonis conjunctis elata sit, non repraesentare (neque enim ratio vocalium semiticarum id patitur), sed thema, quod vocatur, esse, ad formam antiquiorem spectans, ex qua soni quidam ita elidebantur, ut paulatim aut hu²am aut hûm enunciaretur³. Deinde inter hum et hebraicum ac chaldaicum hû² syriacumque hû eam intercedere cognationem existimo, ut omnia per hûm generata sint. Etenim quod ad hû² attinet, quamquam potest item ut formae Semitismi meridiani, quae ei respondent, ab hu²am ducendum esse putari, praesertim cum causam ejus etymologiae spiritus lenis nobis praebere videatur nonnullam⁴, tamen potius ab hûm derivandum esse arbitror, quod, si id fit, formae chaldaica et syriaca eandem, ut certe debent, accipiunt originationem quodque illam spirandi notam eodem fere modo in hû², quo in arab. qatalû², aliphum esse praecautionis, quod dicitur, haud minus probabile est, quam reapse elatam eam quondam esse. Sed hûm quoque ex hvam natum esse, intelligitur, siquidem hoc demum communis esse potest origo et meridiani et septentrionalis Semitismi formarum, de quibus hic locuti sumus.

1) Vid. Dillmann, l. c. pp. 36, 37, 68—75 praecip. 74.

2) I, pp. 51—54.

3) Cfr. infra.

4) Cfr. I, pp. 49, 60; Ewald, Ausf. Lehrb. pp. 274, 483.



Sed prorsus eodem modo comparatam esse rationem sonorum in forma feminina atque in masculina, apparet, nisi quod ubi haec *v* (*ú, u*) sonum, illa *j* (*í, i*) habet. Et cum ita efficiatur, ut, id quod jam antea (I, p. 60) demonstravi, una atque eadem forma feminina non minus quam masculina omnibus dialectis semiticis communis fuerit, nihil est quod prohibeat, quominus ex sonis conjunctis *hvam*, quos huic tribuimus, illi *hjam* fingamus¹. Ut hanc rem explicemus simulque ad formas pronominum, de quibus agitur, principales propius accedamus, in rationem, qua, ipsa lingua se conformante, invaluerint hae formae a nobis propositae, inquiremus. Cujus quaestionis prima pars in vetustiore illa forma, qua decurtata formam *hvam* natam esse dixi, accuratius definienda versetur oportet. Quam si de novo quasi effingere volumus, restituenda est vocalis inter *h* et *v* elapsa. Neque illam aliam fuisse, versimile est, quam *a*, quippe quae vetustissimarum stirpium, si non semper, at plerumque certe propria fuerit² atque optime, si quid iudico, valeat ad id *a* declarandum, quod eundem obtinet locum, quem *i* et *u*, in multis hujus pronominis formis et suffixis atque terminationibus cum his arte cohaerentibus. Primum enim statuendum est, hoc *a*, cum longum quoque (*hâ*³) in omnibus linguis semiticis inveniatur, non minus quam *ú* (*u*) et *í* (*i*) a debilius quarundam literarum conjunctione originem ducere, deinde hanc ipsam conjunctionem *ava* fuisse (vid. I, pp. 49 sqq.); quae tamen sic tantum huic pronomini tribui potest, ut vocalis *a* inter *h* et *v* vocis *hvam* interjecta fuisse putetur. De suffixo vero *hâ*, his rebus ita

1) Horum tamen neutrum veram habuisse generis vim et supra (I, p. 60) significavi et infra quoque videbimus.

2) Cfr. I pp. 5 sqq.

3) Cfr. I, pp. 59, 60.

constitutis, nondum contenderim, sonum quendam nasalem inde evanuisse (vid. p. 36), sed tantum hâ phonetice cum hava ita cohaerere, ut hû cum hva. Sed, ut exemplum, magis ad rem accommodatum, proferam, forma ham, de qua infra dicemus, non potest non eodem modo ad havam referri, quo hum ad hvam. Formam igitur vetustiore, cui hvam per syncopen originem suam debeat, havam fuisse, censemus. — Nunc videamus, quo modo hjam comparatum sit. Quod thema a me recte propositum esse, ut paulo accuratius demonstrum, quae supra (p. 19) significavi, hoc loco distinctius fusiusque dicam. Observandum est igitur primum, femininas formas tertiae personae singularis numeri eodem modo ad hi^aam, hîm, quo masculinas ad hu^aam, hûm, referendas esse; deinde illis item ut his communem esse originem, cui *i* vel *j* peculiare sit; postremo, si forma, quae originem illam exprimit, conferatur cum ea, quae pro hu^aam et hûm valet, eam semitico certe more hjam scribendam esse. Quaeritur, num hoc hjam ab hâjam originem ducat. Equidem nunc¹ adducor, ut rem ita se habere censeam, cum hjam propter naturam suam phoneticam, antiquiorem aliquam formam fuisse, demonstrum, alia vero forma, toti Semitismo communis, quam hajam, si quid iudico, cogitari nequeat. Suspicietur forsitan quispiam, vocem havam, in hu^aam aut hûm se convertentem, i. e. thema hvam, pronunciatu huam assumpto, illud hjam, per hiam elatum, procreasse². Sed haec opinio probanda vix est, siquidem Semitae sonis huam et hiam in scribendo saltem eandem plane vim et figuram atque illis hvam et hjam tribuunt neque haec posteriora verae voces haberi

1) Cfr. I, p. 60.

2) Cfr. Ewald, Ausf. Lehrb. p. 483.

possunt. Tamen, quia hajam neque ad pronomina (excipiendum est fortasse aeth. h^eja *ibi*) conformanda adhibendum neque ullius in hac dissertatione momenti est, id missum facientes, hajam solum retinebimus.

Si has tres formas pronominis tertiae personae a nobis propositas, havam, hvam, hjam, diligentius consideramus, facere non possumus, quin suspicemur, eas principio vocali terminatas fuisse, praesertim cum ipsa linguarum semiticarum natura hanc suspicionem confirmet¹. Cum autem nulla hujus rei vestigia in pronominebus ipsis inveniuntur, ceterae partes orationis, in quibus reliquiae pronominales insunt, in auxilium vocandae sunt. Cujus rei bonum se ducem praebet Philippus², ostendens, nominum exitus accusativi et nominativi singularis numeri, e quibus arabici maxime perspicui sunt, nihil aliud esse, nisi reliquias pronominum easque formis quibusdam tertiae personae proximas. Itaque Philippus demonstravit, illud hâ, quod et suffixum est, femininum sing. exprimens, et generale demonstrativum, origine cum terminatione accusativi -a (in lingua aethiopica etiam -hâ reperitur) conspirare; vocem han (cfr. arab. هَـنَّ, chald. han-hû, arab. ٥an-ta, hebr. ٥ân-ôki), cognatione illi hâ proxime conjunctam, principium esse accusativi linguae arabicae exitus -aⁿ; formas denique pronominales hû et hun terminationes nominativi -u et -uⁿ ejusdem linguae procreasse. Hujus sententiae summam omnino probanti, mihi tamen, ut antea dixi, persuasum est, imitationem nunatione antiquiorem eamque ob causam terminationes illas nunatas ortas esse ex -am et -um, quae idem atque ham et hum valent, de quorum origine supra

1) Cfr. I, pp. 10 sqq.

2) Wesen u. Urspr. d. St. estr. pp. 174—190.

dixi. Fonte igitur harum terminationem nunatione insignium aperto, eae cum quibusdam terminationibus pluralibus comparandae sunt, in qua disquisitione primum, qualis ratio intercedat inter -uⁿ et ei respondentem exitum pluralem -ûna, considerari oportet. Viris doctis, qui hanc rem tractarunt, ducibus jam id saltem contendere licet, -uⁿ et -ûna commune fundamentum habuisse¹; qua re sic constituta, hoc commune fundamentum, thema illud dico, quod est tertiae personae pronominis, *u* vocalem habentis, principium ac fons, -ûna ex se gignere non potuisse, apparet, nisi fine fuerit in *a* exeunte. Facit huc quoque, quod in tertia persona pluralis masc. imperfectum verbi et arabici et syriaci -ûna² habet, quod -ûna sine dubio idem est atque id, de quo jam quaesivimus³. Probato igitur thema hvam in *a* exisse, sequitur, ut thema havam prorsus eodem modo comparatum fuerit, ex quo per syncopen, ut diximus, ortum sit hvam. Jam vero sic quoque idem assequi licet, ut ad comparationem exitum accusativi sing. -aⁿ seu, id quod idem est, demonstrativum ham, han cum quadam terminatione plurali provocemus. Haec terminatio est -ânâ, in tertia persona feminin. plural. imperfecti verbi syriaci suffixo praecedens, quae, si ad eandem originem referenda est atque han, non minus valet ad havam declarandum quam -ûna ad hvam. Restat igitur, ut demon-

1) Vid. Dietrich, Abhandlungen zur hebr. Gramm. pp. 51 sqq; Hupfeld, l. c. pp. 474 sqq; Philippi, l. c. p. 137; Merx, Gramm. syr. p. 163; Derenbourg, Déclinaison dans les langues sémitiques (Journal Asiatique, VI série, tome X, pp. 379 sqq.), al.

2) In lingua syriaca haec terminatio solum ante suffixum usurpatur et quidem *a* finali, ut fit in aperta syllaba, producta (cfr. neqtlûnâ-kên, neqtlûnâ-kên).

3) De his rebus infra plura disputabo.

strem, han et -ānā ex eodem fonte emanasse. Neque me hanc rem assequi posse prorsus diffido. Nam recte sine dubio Philippus putat, han cum pronomine demonstrativo generali hā, quod idem femininum personale est, proxima affinitate conjunctum esse¹; deinde concedendum est, eandem rationem etymologicam inter hā et han intercedere quam inter hū et hun, quorum illa terminationes accusativi, haec nominativi referunt. Quae cum ita sint ac cum perspicuum sit, hā et -ānā² (signa feminina) atque hū et -ūna (signa masculina) simili necessitudinis vinculo juncta esse, existimandum est, -ānā eodem modo se habere ad han atque -ūna ad hun (= -uⁿ), sive eandem originem illis -ānā et han tribuendam esse. Insuper ad ea, quae de finali illo *a* dixi, confirmanda, conjunctione arabica *ʔānā* uter, nisi mihi, de ea dicenti, necesse esset refellere conari sententias summorum grammaticorum Ewaldi³ et Nöldekii⁴; quamobrem de ea tacere malo. — Tertium quoque thema *hjam* antea in *a* exisse, satis clare apparet. Nam fac etiam terminationem arabicam -īna, quae est in genitivo et accusativo plural., nihil ad stirpem pronominis tertiae person. femin. pertinere, cum *i* vocalis in terminationibus nominum ex *a* debilitato ("Schwächung des *a*-Vocals") orta esse videri possit⁵, de qua re infra plura disputabimus, tamen -īna, quod est in secunda persona sing. fem. imperfecti verbi arab., ad sententiam nostram confirmandam afferri potest, quippe quod ejusdem originis esse atque pronomen personale tertiae pers.

1) Dicit p. 188, vocem hā principiam esse demonstrativi han.

2) Cfr. sententias inter se diversas, quas de hac terminatione aperuerunt Merxius (l. c. p. 203) et Dietrichius (l. c. pp. 75, 76).

3) Die gesch. Folge der sem. Spr. pp. 43 sqq.

4) Orient und Occident, I, pp. 568, 569.

5) Philippi, l. c. p. 196.

sing. fem. jam demonstraverim; habet igitur hoc quoque pronomen thema in *a* exiens. — His rebus ita expositis, themata illa tertiae personae, quae supra attuli, ad *havama*, *hvama*, *hjama*, i. e. *hava* + *ma*, *hva* + *ma*, *hja* + *ma* jure revocantur¹.

Quoniam, enucleandis idoneis quibusdam formis, ad originem hujus pronominis pervenimus, videamus, quo modo ex hoc quasi fonte ductae sint partim formae quaedam ipsius pronominis tertiae personae, partim praefixa quaedam verbalia terminationesque verbales et nominales, tertiam personam declarantes, de quibus nondum exposuimus. Antea tamen monendum est, stirpes a me hic propositas item ut simplices *hava*, *hva*, *hja*, de quibus in priore parte dixi, certi cujusdam generis significatione omnino carere. Nam praeterquam quod generum distinctio in linguis semiticis sero, si cum aliis formarum distinctionibus comparatur², exstitit, etiam in ipsis pronominibus sonos *a* et *u* et *i* tum solum, cum inter se opponuntur, certum genus significare, cum autem genera non discernuntur, promiscue usurpari, invenimus. Itaque in lingua hebraica per *šû* et masculinum et femininum exprimitur; *î* ad utrumque genus in formis arabicis *ʔaladî* et *ʔalâtî* significandum valet; aethiopicum *tû* masculinum est illud quidem, cum *tî* opponitur, sed invenitur etiam in formis femininis, ut *ʔelân-tû* *ʔemân-tû*; in vocali *â* masculina inest significatio, *î* opposito (cfr. arab. *dâ*, *dî*), feminina vero, si habet *û* oppositum (cfr. *hû*, *hâ*); *u* et *i* inter se respondent in assyr.

¹) Vid. I, pp. 60, 61.

²) Certe, ut hoc tantum moneam, personae prius significatae sunt, quam genera. Velut *qatala* et *jaqtulu* tertiam personam antea haud dubie exprimebant, quam lingua formas *qatala-t* et *jaqtulu* ad diversa genera ejus personae declaranda fingeret.

anākū et hebr. anōkī, *a* et *i* in arab. tā et tī, in arab. mā et aeth. mī, ut alia omittam. Manifesto igitur apparet, vetustissimas tertiae personae pronominis formas sono tantum, non etiam significatione inter se distinctas esse nec, antequam lingua ipsa ad stabilitatem quandam pervenisset, ad genera ejus personae distinguenda accommodatas esse. Videamus proinde, quam vim hae formae principales ad praecipuas nondum explicatas species hujus pronominis procreandas stabiliendasque habuerint in principibus linguis semiticis.

Et quoniam formae singulares pronominis tertiae personae separati jam expositae sunt, a formis ejus pluralibus incipiendum est. Atque, ut in praesens omittamus aeth. v^oe tōmū et v^oe tōn, quae alio loco aptiorem habebunt explicationem, in ceteris vocalem primae syllabae, ut supra jam ex parte significavi (p. 12), eo modo variare invenimus, ut Arabum *u*, Aethiopum et Syrorum *e*, Hebraeorum *ē*, Chaldaeorum *i* inter se respondeant. Id quoque antea (pp. 12, 16) monui, aethiopicum *e* ex *u* profectum esse. Namque stirps hvama non solum per formarum seriem hu^oama, hu^oam, u^oam, v^oam, v^oa in v^oe, sed etiam per hūma, hūm, hum in u^om abiit, quod ex legibus linguae aethiopicae in em converti necesse fuit¹ (cfr. aeth. leb et arab. lubūⁿ, aeth. heljān et arab. hūlvānūⁿ, aeth. hēmām et arab. hūmāmūⁿ, aeth. rek^oām et arab. rūlīāmūⁿ, aeth. sanbel et arab. sunbulatūⁿ, aeth. q^uerbān et arab. qurbānūⁿ; aeth. q^uenfef et arab. qunfuḍūⁿ, aeth. terg^uemān et arab. targumānūⁿ al.). Syrorum *e* autem non ex *u* fonte proxime emanavit. Quamquam enim voces syriacae interdumprehenduntur, quarum *e* ab *u* du-

1) Cfr. Dillmann, Aeth. Gr. p. 28.

ctum putari possit, velut reprâ i. q. arab. ṭufrunⁿ et ṭifrunⁿ, debâ i. q. arab. dubunⁿ, dubatunⁿ, bermâ i. q. arab. burmun¹, tamen vestigia *i* soni, masculino sing. pronominis tertiae personae peculiaris, tam aperta² in Semitismo septentrionali inveniuntur, ut non possimus non illud *e*, quod in numeri pluralis forma masculina *enûn* vel, ut ad rem accommodatius dicam, in ea ejus parte (*en-*) est, quae a masculino sing. originem ducit, ex *i* natum arbitrari, praesertim cum exempla ejusmodi permutationis lingua syriaca praebeat frequentissima (cfr. debliâ et arab. dibhûn, seqâ et arab. siqun, celtâ et arab. cilatun³, iret et arab. varîta, item et arab. jatîmun, lebes et arab. labisa, qâtel et arab. qâtilun, men et arab. min, meskinâ et arab. miskînun, mertâ et arab. miṛatun, nesrâ et arab. nisrun, nasrun, semâlâ et arab. simâlun, cedân et arab. cidânun, regl^etâ et arab. riglatun al.). Qua re sic constituta, existimandum est, illam *en-* syllabam numeri plur. Syrorum pronominis tertiae personae, feminino et masculino communem⁴, ex *hin* vel *him*⁵ ortam esse ideoque cum chaldaica sibi respondente syllaba (*him* vel *hin*) plane congruere. Sed etiam Hebraeorum *e* saepissime praecipueque in syllabis acuto sono praeditis⁶ ex *i* ortum esse constat; numquam, ut equidem credo, ipsi *u* vocali origi-

1) Merx, l. c. p. 51.

2) Vid. suffixa mascul. num. sing. hujus pronominis linguarum chald. et syr.

3) Merx, l. c. pp. 46, 47.

4) Cfr. aeth. *em-(ûn)* et *em-(ân)*, arab. *hum-(û)* et *hun-(na)*, hebr. *hēm-(māh)* et *hēn-(nāh)* al.

5) Ita in mandaica quoque (ܩܘܪܝܢܝܢ).

6) Cfr. Olshausen, Lehrb. d. hebr. Spr. pp. 110, 111; Ewald, Ausf. Lehrb. pp. 103, 104; Gesenius-Rödiger, Hebr. Gramm. p. 32.

nem debet. Itaque syllabis hēm- et hēn- quoque formarum pluralium pronominis hebraici him- et hin- substituendae sunt. Hic autem quaeritur, utrum syllabae illae aramaicae et hebraicae brevi *u* in *i* mutando formatae sint, ut in his linguis, sicut in arabica et aethiopica, hūm, hūn (vid. p. 18) fuerint, an origo *i* soni aliunde repetenda sit. Equidem posterius probandum esse, censeo. Mutatur enim *u* breve in *i* apud Hebraeos¹ et Aramaeos² perraro. Contra eorum linguae plurima nobis suppeditant exempla *ū* soni in *i* (corrept. *i*) conversi. E quibus gravissimum est forma masculina numeri sing. suffixi tertiae personae, hī (hj), cuius origo pronomini hū debetur. Deinde sonum *ū* ita mutatum esse, comprobant Aramaeorum participii passivi forma q^etil, quae hebraicum qātūl adaequat (cfr. hebr. אָסִיר *captus*, אָסִיר *captus quidam*, *captivus*; מַאֲשִׁאֲלִי *unctus*, מַאֲשִׁאֲלִי *unctus quidam*), hebr. שְׁלִיחַ i. q. שִׁלְיָה, שִׁמ i. q. שִׁמ, שִׁד i. q. chald. שִׁד, hebr. גִּיל i. q. גִּיל, דִּג i. q. דִּג, שִׁד i. q. שִׁד, הִיל i. q. הִיל et multae aliae propages illarum stirpium hebraicarum et aramaicarum, in quibus *v* et *j* literae promiscue usurpantur. Quam ob causam formas hebraicas et aramaicas him, hin primo in hīm, hīn, deinde in hūm hūn redigi posse, censeo. Eandem esse originem formarum aeth. et arab. hum, hun, supra demonstravi (p. 18). — Cetera elementa formarum pluralium tertiae personae sunt haec: in dialecti arabicae masculino -ū, feminino -na; in aeth. masc. -ūn, fem. -ān; in hebr. masc. (m)āh, fem. (n)āh; in chald. masc. (n)ūn, (m)ōn, (m)ō, fem. (n)īn, (n)ēn; in syr. masc. -ūn, fem.

1) Cfr. Olshausen, l. c. § 55, e, § 160 b, § 234 a-c.

2) Cfr. Merx, l. c. pp. 46. sqq. Forsitan voces hebr. אֵם (c. suff. אֵם), לֵב (c. suff. לֵב), syr. אֵמָא, (chald. אֵמָא), לֵבָא (hebr. לֵבָא) *u* vocali in *i* et *i* in *ē*, *e* conversa, natae sint (cfr. arab. أُمٌّ, لُبٌّ).

-ên. Quas terminationes pronominales si cum nominalibus, quae numerum pluralem exprimunt, comparaverimus, quamquam inter eas nonnullam similitudinem intercedere videbimus, tamen illas ab his ductas esse, vix existimabimus. Nam exitus feminini omnes¹ atque etiam masculini quidam, velut aethiopici (in nominibus -âⁿ, in hoc pronomine -ûⁿ), tantam habent in nominibus et pronomibus dissimilitudinem, ut ejusmodi derivationem fingere prorsus non liceat. Meliore quodam jure a verbo posse videmur terminationes illas pronominum ductas putare, siquidem verbi tertia persona plur. habet in dialecto arabica exitus -û, -ûna masc. gen., -na fem.; in aeth. -û masc., -â fem.; in hebr. -û masc., -nâh fem., in syr. -ûn masc., -ên fem. Sed haec derivatio aliam affert difficultatem, quam tollere potest nemo. Nam tantum abest, ut in ulla lingua terminationes pronominum a verbo ductae sint, ut contra pleraque affixa verbalia a pronominibus originem acceperint. Quae cum ita sint, quemadmodum terminationes pronominum in affixa verbalia et nominalia mutatae sint, in praesentia quaerere omittentes, hic id tantum tenemus, pronomem tertiae personae ex se ipsum formas suas plurales genuisse. Cujus formationis viam ac rationem nunc quaerentibus, ducem nobis se praebet formatio numeri pluralis primae personae, qui, ut viris harum linguarum scientissimis, Ewaldo², Dillmanno³, Lago⁴ probatur, geminata singulari exstitit. Hac re adductus equidem puto, tertiae quoque personae formas plurales ex duabus hujus personae

1) Cfr. tamen Aramaeorum exitum femin. -ân et suff. -n-ân.

2) l. c. p. 483.

3) l. c. p. 268.

4) Ar. Gr. p. 129. — Cfr. Vogel, Die Bildung des persönlichen Fürwortes im Sem. pp. 22 sq.

formis singularibus constare¹. Atque haec sententia mihi ideo potissimum probatur, quod ea formas plurales plerasque facillime explicari posse invenisse mihi videor. Dispiciamus igitur primo, quo modo Aethiopes, Arabes, Aramaei formas masculinas pronominum, de quibus agitur, composuerint. Atque Aethiopum quidem forma ʾemûn ab hûm-hûna per hûmûn (cfr. suff. -hômû), humûn aptissime ducitur. Eidem formae principali (hûm-hûna v. hum-hûna), etiam arabicum humû (hum), imminuendo ex humûna natum (cfr. qatalû pro qatalûna), convenit. Neque Syrorum ʾenûn vel henûn ab hac formandi ratione abhorret, quippe quod, legibus hujus linguae servatis, ex hûn-hûna per hûn-hûn, hîn-hûn, hin-hûn v. hinûn ductum esse possit. Quod vero ad chaldaicum ʾiñûn attinet, ejus *n* geminum ita explicandum esse puto, ut *n* finale vocis hin cum *h* sequenti in *n̄* coaluerit (cfr. ʾinhên et ʾiñên al.), id quod etiam in formam syriacam eam, de qua modo quaesivimus, cadere videtur, quamquam signum consonae geminatae respuit haec lingua. Itaque origo etiam chaldaici ʾiñûn ab hûn-hûna, i. e. hîn-hûn, hin-hûn, hiñûn, repetenda est. Alteram vero hujus generis formam chaldaicam hiñôn vel hiñô ab hûm-hûna per hîm-hûna, him-hûna, hiñûn² ductam puto. — Sed, ut in formis pluralibus explicandis longius progredi possimus, hic quoque, ut supra, monendum est, themata illa tertiae personae diversa genera non significasse ac ne hûma quidem v. hûna, hîma v. hîna, hâma vel hâna, contractione ex his thematis orta, prius generis significationem assumpsisse, quam inter se op-

1) Cfr. Hupfeld. System etc. pp. 152, 474.

2) Cfr. suff. chald. -kôm, -kôn, -kûn, syr. -kûn; chald. -hôn et syr. -hûn.

ponerentur. Itaque, ut exemplum ad rem, quae agitur, accommodatum afferam, hâma vel hâna, quod per se tertiam personam exprimebat, ad accusativum (-hâ, -aⁿ) sine ullo generis discrimine, significandum valuit. Similiter etiam hâma vel hâna ad formas quasdam plurales pronominis tertiae personae efficiendas adhibitum esse, e dialectis hebraica et arabica apparere, duxerim. Si enim, ut hanc rem explanemus, linguae hebraicae primum rationem habemus, ejus formas plurales et masculinam et femininam -âh sono terminari videmus neque alia re inter se differre, quam quod ubi masculina *m*, ibi feminina *n* habeat. Propter hanc causam facere non possum, quin utriusque generis formam unam eandemque initio fuisse statuam. Cujus principium habeo hûm-hâna, unde exstitisse puto primo hîm-hân, deinde him-hân et hin-hân, tum himân et hiân¹, i. e. hēm-âh et hēnâh² (decurt. hēm, hēn). Sed in dialecto arabica vox quaedam illi hēmâh plane congruens invenitur, quae est forma dualis humâ comm. gen., siquidem, hunc numerum plurali posterius natum esse eique originem debere, existimandum est³. Atque eo magis adducimur, ut formam humâ ita comparatam fuisse statuamus, quod lingua arabica vulgaris ad numerum pluralem tertiae pers. exprimendum et huma et human adhibet. — Alio prorsus modo illo hâna lingua aethiopica ad pluralem num. hujus

1) Cfr. attractionem nûn epentheticam, quod vocatur, et sequentis *h* consonae al.

2) Praeterea formam quandam pluralem hujus pronominis in -ân exuentem, ut in dialectis arab., aeth. aram, ita in hebr. fuisse, valde probabile est. Quin etiam necessariam esse hanc sententiam, in affixis verbalibus plur. num. considerandis videbimus.

3) Cfr. de hac re Ewald, l. c. p. 474; Lagus, l. c. p. 104; Schleicher, Comp. p. 434, al.

pronominis effingendum usa est. Namque forma plur. hûm-hûna (unde humûn, ʔemûn) jam nata, hâna illud formae hûm adjunctum, i. e. hûmhâna (hûmân, humân, ʔemân), cum voci hûm-hûna opponeretur, femininum procreavit. — Restat, ut formas plurales femininas pronominis tertiae personae in dialectis arabica et aramaica consideremus. Atque hae sane magnam difficultatem afferunt. Quod primum ad arabicum huña attinet, probabile est, id ex hun-hâna (masc. hum-hûna) profectum esse, quia haec forma ad similitudinem et aethiopici hûm-hâna et hebraici hin-hân(a) proxime accedit atque inter has linguas arabica quasi medium tenet. Sed etiamsi hoc probatur, ut certe probandum videtur, cum quaerimus, qua ratione hun-hâna in huña versum sit, dubitatio nobis movetur, utrum in feminino plur. pronominis tertiae pers. procreando Arabes Aethiopum formandi viam magis secuti sint an Hebraeorum. Si posterior ratio eis placuit, hun-hâna attractione literarum *n* et *h* in huñâna (cfr. hebr. hiñân), hoc vero paulatim imminutione in huña transiisse cogitari debet. Sed illa ipsa attractio mihi quidem scrupulum injicit, cum lingua arabica, quantum equidem scio, nulla hujus mutationis exempla praebeat. Itaque magis adducor, ut credam, hun-hâna in hunâna versum esse (cfr. aeth. hûmhâna—hûmâna, arab. humhûna—humûna), hoc autem contrahendo in huña transformatum. Quod si quis dicat, hanc permutationem majorem esse, quam ut natura linguae arabicae eam admittat, is velim consideret, hanc linguam jam antiquissimis temporibus etiam majores habuisse ejusdem generis mutationes; velut illud primae pers. suffixum -nî ex (ʔa)nâkî ortum infra videbimus. — Formarum vero plur. feminini gen. chald. ʔiñîn v. ʔiñên, syr. henên v. ʔenên originem tum demum perspicimus, cum fontem illius *ê* soni indagaverimus. Quem ad

inveniendum formas verbales, quae cum pronomibus syr. ʔenûn masc. et ʔenên fem. terminationibus comparari possint, circumspiciamus. Inter has primo commemoranda sunt, ejusdem linguae masculinum et femininum tertiae personae plur. perfecti, quae ante suffixa species qatlûnā, qatlênā sibi induerunt. Hac similitudine adducti, *ê* vocalem in ʔenên et qatlênā ejusdem esse originis, negare non possumus. Atque praeter has formas, duas quoque alias habet verbum syriacum, in quibus eadem ratio inter *û* et *ê* sonos intercedat, q^êtaltûnā dico et q^êtaltênā, quarum illa masculinum, haec femininum secundae personae plur. perfecti efficit. Itaque huic *ê* aliam atque illis attribuere non licet originem. Quid quaeris? *ê* sonum terminationis femininae -ên vel -ênā, in quacunque forma inest¹, ex eodem fonte fluxisse, manifestum est. Qua re sic constituta, si Merxio² duce formam q^êtalên e q^êtalân ortam haberemus, etiam q^êtaltên e q^êtaltân, ʔantên e ʔantân, kên e kân, hên e hân nata esse, statuendum nobis esset aut certe, formas illas femininas tum demum exstitisse, cum terminatio -ên, in certa quadam forma jam efficta, ad femininum omnino designandum per analogiam adhiberi potuisset. Sed utrocunque modo istam *â* soni in *ê* permutationem factam esse finxerimus, in magnam difficultatem non poterimus non incurrere, praesertim cum *â* vocalis in *ê* mutatae lingua syriaca nulla praebat exempla³. Nec minus sane ea sententia habere videtur difficultatis, quam de hac re protulit Dietrichius⁴, qui putat, exitum fem.

1) Cfr. etiam suff. hûn et hên, kûn et kên, pronn. ʔantûn et ʔantên.

2) Gr. syr. pp. 202, 207.

3) In toto thesauro verborum syriacorum ne unum quidem hujus rei exemplum invenire potui.

4) l. c. pp. 75 sqq.

plur. -ên, contrahendis terminationibus feminina sing. num. -â et masculina plur. -în, procreatum esse. Neque idoneo utitur ad illam sententiam confirmandam argumento, utpote quod inde ducat, quod in verbis אֵלֵּי forma chaldaica gālajin syriacae gālên (masc. plur. partic. act. Pe'al) respondet. Nam etiamsi censeamus, syriacum gālên per gālê-în ex gālai-în ortum esse¹, parum tamen causae est, cur âîn in ên transiisse credamus, nihil autem omnino, cur illam feminini terminationem, plurimarum formarum communem, compositione istiusmodi paene monstruosa existitisse putemus. Contra Philippus² recte mihi suspicari videtur, exitum syr. -ên ex -în ortum esse. Nam primum, ut formarum pronominalium earum, de quibus hic quaeritur, praecipue rationem habeamus, Chaldaeorum ܐܝܢܝܢ syriaco ܐܝܢܝܢ respondere videmus; deinde linguam syriacam, quoniam femininum sing. hî (ab hîn ductum) habet, ut aethiopica ad femininum numeri pluralis hujus pronominis formandum voci singulari hûm addidit hân(a), item hîn(a) formae singulari hûn addendo suum femininum plur. effingere potuisse invenimus; tum, in dialectis aramais ܐ et ܐ sonos artissimo cognationis vinculo inter se junctos esse, cum ex aliis vocibus videmus tum praecipue ex verbis אֵלֵּי; postrem onil obstat, quominus linguae syriacae, ut duae formae singulares femin. gen. pronominis personalis tertiae pers., altera hî (hîn), altera hâ³ (hân⁴), ita

¹) Revera, ut puto, gālên ex gālei-în natum est (cfr. qâtel-în). Atque chald. gālajin, ut mihi quidem persuasum est, ita existit, ut gālei-în (qâtel-în) in gālê-în vel gālî-în contractum sit, hoc vero, gnatione in gālai-în mutatum, formam gālajin effecerit.

²) l. c. p. 160.

³) Cfr. chald. qatlû-hâ al.

⁴) Vid. p. 36.

duae quoque terminationes plurales ejusdem personae generisque, -în et -ân (cfr. suffixa verbi chaldaici -nên, -nân *illas*), fuerint, ex his autem -în in -ên paulatim conversam esse statuamus, quod tum praecipue facile fieri potuit, cum haec lingua etiam ad masculinum plurale significandum (in nominibus) exitu -în jam utebatur. Neque tamen negaverim, in hac quaestione unam mihi rem scrupulum iniecisse. Quamvis enim in lingua aramaica *î* et *ê* soni artissimo nexu cohaereant, certa tamen exempla, ubi posterior eorum prioris locum obtinuerit, haud facile protuleris. Sic nisi aegre decernere nequeas, utrum *î* an *ê* antiquius sit in formis chaldaica tiglîn et syr. teaglên, chald. titg^elîn et syr. tetg^elên, chald. t^egalîn et syr. t^egalên al. Ac maximam sane difficultatem in hac re nobis affert lingua syriaca¹, quippe quae *ê* sono perraro utatur ideoque nobis parum occasionis praebet ad naturam ejus observandam. Quid quod, si omnia verba syriaca percurrimus, *î* ex *ê* ortum saepe invenimus maximeque in vocabulis origine graecis², sed vix quindecim omnino diversae originis voces reperimus, *ê* sono praeditas, et pauciores etiam, ut ex se intelligitur, quibus *î* in *ê* abiisse probari possit. Exempla hujus mutationis, quae quidem reperi, haec sunt: hî^ešêq *robustus*, quod vocabulum, ut differret ab hî^ešîq *viator*, quocum ei et forma et vis (nam *accinctum* significabat) primo

1) Eandem fere etiam lingua chald. biblica, ut verborum omnino inops, habet difficultatem. E contrario Targumim multa praebent exempla, quae ad hunc transitum comprobandum valeant. Ex quibus haec afferam: ʿatêb (syr. ʿatîb), sôšbênâ (syr. sûšbînâ), qerêbûtâ (syr. qarîbûtâ) seqêrâ pro seqîrâ, ʿârêm pro ʿârîm al.

2) Cfr. syr. sûqratis et Σακράτης, sîrînas et Σειρῆνας, parqlitâ et παρόκλητος, pûnîqî et Φοινίκη, qrîrî et Κρήτη, rûmî et Ρώμη, al. Cfr. Seyffarth, De sonis literarum Graecarum, pp. 69 sqq.

communis erat, *é* pro *í* accepisse videtur; *ti·bêl orbis*, quod, cum nomen actionis sit formae p̄arcelicae *jabel* (arab. II), ad exemplum *taqtîl*¹ formatum, haud scio an primitus *taibîl*² sonuerit; *q^edêm* (etiam *q^edem*) *praecedens*, *prior*³, a *q^edîm* ductum (men *q^edîm ab initio, a principio*), quod est *P^eîl* verbi *q^edam*⁴. Quae exempla, quamquam per se parum probant, tamen eis rebus, quas supra attuli, conjuncta, nihil esse causae, demonstrant, cur nege-mus, vocalem *í* in *é* abiisse. Quod cum ita sit, aramaicas formas plurales fem. gen. *henên, ʔenên, ʔiñên, ʔiñîn* e forma principali *hûn-hîna* per *hîn-hîna, hin-hîn, hiñîn* natas esse, existimo. Sed praeter *hûn-hîna* etiam *hûn-hâna* feminini pluralis hujus aramaici pronominis formam nativam fuisse, verbi chaldaici suffixa *-iñân, -nân*, quae (sicut *-iñên, -nên*) femininum plur. exprimunt, indicare putaverim.

Quoniam de formis pluralibus tertiae personae exposuimus, nunc ad suffixa ejusdem personae consideranda trans-eamus. Haec autem sunt in dialectis semiticis principali-bus suffixa tertiae personae: in arab. masc. sing. *-hu*, fem. *-hâ*, masc. plur. *-hum*, fem. *-huña*; in aeth. masc. sing. *-hû*, fem. *-hâ*, masc. plur. *-hômû*, fem. *-hôn*; in hebr. masc. sing. *-hû al.*, fem. *-hâ, -âh al.*, masc. plur. *-hem, -âm al.*, fem. *hen, -ân al.*; in chald. masc. sing. *-hî, -êh*

1) Vid. Hoffmanni Gr. syr. p. 243.

2) Vox *ti·bêl* etiam *tebêl, te·bel* scribitur (hebr. *têbêl*, ubi *é* im-purum est.)

3) Vid. Bernstein, Lex. Syr. Chr. Kirsch. p. 434.

4) Cfr. etiam *talbüsetâ* et *talbestâ*, quorum illud in hoc per *tal-bîsetâ, talbêsetâ* mutatum esse crediderim. Praeterea observes velim formam syr. chald. *zêd apud*, ut Levyns docet, a *zîd*, quod ipsum quo-que usu receptum est, ductum.

al., fem. -hâ, -âh, masc. plur. verbis apposita -iñûn, -nûn, nominibus -hôn, -hôm, fem. plur. verbis app. -iñên, -nên, -iñân, -nân, nominibus -hên; in syr. masc. sing. -hj, -eh al., fem. -âh, nominibus adjuncta masc. plur. -hûn, fem. -hên. Ex his suffixis nonnulla quomodo formata sint, facile percipitur. Quorum in numero primum arab. -hu, aeth. -hû, hebr. -hû refero, quae masculino pronominis tertiae pers. magis minusve imminuto exstitisse, perspicuum est. Deinde suffixum femininum -hâ (-âh), quod in omnibus fere dialectis reperitur, aliud esse nequit nisi hâna illud, quod ad feminina quaedam pluralia formanda adhibitum esse invenimus. Nam etsi in dubium videtur vocari posse, num suffixum -hâ et hoc hâna una eademque vox a principio fuerit, cum nullus unquam sonus nasalis in suffixo appareat, tamen, si consideraverimus rationem sonorum aliarum hujus pronominis formarum (e. g. hû), primordia vocis hâ consona nasali caruisse, re vera nobis persuadere non poterimus. Equidem, cum jam comprobaverimus, *m* et *n* sonos huic pronomini peculiare esse, illam conjecturam legi cuidam certae, linguis comparandis inventae, refragari putaverim, siquidem e formis, specie et significatione inter se cognatis, longiores, nisi fortuita additamenta, ut *v* ἐφελυστικόν in graeca lingua, longitudinem effecerint, antiquiores habendae sunt. Denique, quam rationem suffixa arabica -hum, -huña, chald. -iñûn, -nûn, -iñên, -nên, -iñân, -nân ad suum quodque pronomem separatum habeant, ipsa satis declarant. Reliqua vero suffixorum supra allatorum atque alia quaedam, nondum a nobis commemorata, accuratiorem desiderant explicationem. — Ut igitur a suffixis Semitismi meridiani ordiar, aethiopicum -hômû, quod est masculinum plurale, ex hûmûn (vid. p.

29), vocali *û* in *ô* mutata¹ sonoque finali eliso, genitum est (cfr. arab. humû). Hujus vero suffixi femininum -hôn non minus difficilem explanationem habet quam arab. huña, quippe cum non unam, sed plures admittat formandi vias. Ex his proxime ad veritatem accedere videtur ea, qua hûmân (vid. p. 31), i. e. hômân in hôn contractum sit². Quamquam infitias non ierim, -hôn ita nasci potuisse, ut hômân, terminatione -ân paulatim amissa, in hôm, hôn abierit. Quin etiam, -hôn e masculino -hômû formatum esse, conijcere possis. Haec duo suffixa, -hômû et -hôn, pronomini sing. num. v^eo^etû addita, formas plurales v^eo^e-tômû et v^eo^etôn effecerunt. — Consideremus nunc suffixa hebraica tertiae personae et primum quidem ea, quae sunt numeri singularis. Huc referri solent praeter -hû illud, de quo supra dixi, -ô, quod, -a (-ā) finali³ vocis suffixo -hû praeditae atque hoc ipso -hû contractis, natum (cfr. sûsô pro sûsâhû, q^etâlô pro q^etâlâhû⁴), postquam origo ejus tamquam de memoria gentis excidit, talibus quoque vocibus nonnumquam appositum fuisse videtur, in quibus ultimum locum *a* vocalem obtinuisse, suspicari vix liceat (cfr. sûsâtô); deinde -v, ex -hû, sono *î* aut *ai* praecedente, attenuatum, ut in q^etaltîv pro q^etaltî-hû, sûsâ(j)v pro sûsai-hû; denique -ôh et -êhû, quorum illud nisi ratione scribendi ab-ô diversum non est, hoc ex -ê -êh (pro -ai⁵),

1) Cfr. aeth. hâjemânôt et syr. haimânûtâ, aeth. tâbôt et arab. tâbût, aeth. æetôn et arab. æatûn; praeterea observanda sunt gabrô, zalalô, malakôt al, in quibus *ô*, *ôt* ab *û*, *ût* ducta sunt (Dillmann, Aeth. Gr. p. 32).

2) Cfr. infra de formatione vocis æanten.

3) Cfr. Ewald, l. c. p. 624; Gesen.-Rôd., l. c. p. 175. Vid. infra.

4) Sic Aethiopes quoque qatalô pro qatala-hû habent.

5) Cfr. Ewald, Ausf. Lehrb. § 149 g.

quo vox suffixum assumens antea terminata est, et -hû compositum. Hoc tamen ē quo modo ortum sit, enodare saepe praecipueque in verbis difficillimum est. Atque hanc quaestionem, quae ad affixa non minus quam ad suffixa pertinet, hic tantum, quatenus in verbis versatur, perstringam. — Quo consilio primum inter se comparabo diversas formas masculini tertiae pers. sing. imperfecti, quae cum suffixo, masculinum tertiae pers. sing. exprimente, conjunctae in dialectis hebraica, chald., syriaca exstant. Sunt autem hae: in lingua hebr. jiqtlēhû vel, nûn epenthético, quod dicitur, assumpto, jiqtleñû; in chald. jiqtlêh vel jiqtliñêh, in syr. neqtlivhj. Ab his omnibus vocibus si eos sonos separamus, qui in suffixo primitus fuisse possunt, restant in lingua hebr. jiqtlē- et jiqtlen-, in chald. jiqtl(ê)-¹ et jiqtliñ-², in syr. neqtlî-. Quas formas qui inter se contulerit, eum fugere vix poterit, additamentum ejusdem generis earum omnium tertiae radicali literae accessisse. Sed in comparationem nostram, fines ejus paulo longius proferentes, etiam formam hebraicam jiqtlan- (ut j^eka^bê^dân^e-nî³, quod in pausa est), illi jiqtlen- respondentem, Arabumque jaqtulan et jaqtulañā, origine a jiqtlan- non discrepantia, vocemus. Itaque hebraicum jiqtlen- altera ex parte cum jiqtlin- altera cum jiqtlan- vel jaqtulan cohaerere videmus. Quaeritur igitur, utrum sonus *e* vocis jiqtlen- ex *i* an ex *a* natus sit, quoniam, ut notum est, et ad *i* vocalem et ad *a* referri potest. Et habet tantum haec vocalis dubitationis, ut Ewaldus et Olshausenius, clarissimi nostrae aeta-

1) Verisimile est, ut infra videbimus, locum illius *ê* finalis antea habuisse sonum *î*, cum apposito -êh suffixo in -êh confusum.

2) De causa hujus *n* reduplicati vid. infra.

3) Ps. 50, 23; Ewald, l. c. p. 631.

tis grammaticorum hebr., prorsus contrarias de ea protulerint sententias, cum ille¹ eam ab *i*, hic² ab *a* ductam diceret. Equidem Ewaldo plane assentior, cujus sententia rem optime, si quid iudico, explanet. Nam si formas inter se respondententes *jiqtlēn-*, *jiqtlē-*, *jiqtlīn-*, *jiqtlê(i)-*, *neqtlī-*, quibus suffixa adjunguntur, comparaverimus, concedendum est primum, in tanta similitudine originem ultimae syllabae aliis aliam assignare vix consentaneum esse, deinde, si hoc ita sit, vocalem *i* hujus syllabae magis propriam fuisse quam *a*. Idcirco *jiqtlīn* vocum hebraicarum *jiqtlēn-* et *jiqtlē-* fundamentum fuisse statuens, illam a *jiqtlīn* per *jiqtlēn* ductam esse, quod, quantum scio, ipsam *i* vocalem linguae hebraicae in *e* (*sēgōl*) mutatam esse, non constat, hanc e *jiqtlēn* imminuendo natam censeo. Neque dubito, quin imperativi *-ē*, suffixo *-hû* antecedens (*qotlē-hû*), ejusdem sit originis atque *-ē* sonus imperfecti (cfr. imperativ. chald. *qetuliñēh* et *qetulēh*, de quibus infra). Quod vero ad syllabam *-in* vocis *jiqtlīn* attinet, eam non unam, sed plures explicationes admittere, perspicuum est. Equidem maxime probabile putaverim, *-in* haud secus atque *hīn-*, *īn-* vocum pluralium *hīñûn*, *īñûn* natum esse, id est sic, ut *hûn* personale vel potius demonstrativum, primo in *hīn*, deinde in *hīn*, *-in* (apud Syros in *-īn*, *-ī*) mutatum, imperfecto Hebraeorum et Aramaeorum additum sit⁴. Quamquam non negaverim, Merxium quoque, hanc quaestionem ita sol-

1) l. c.

2) Lehrb. der hebr. Sprache, pp. 113, 182.

3) Cfr. *bin*, *bēn*, *ben*; *jābīn*, *jābēn*, *jāben* al.; formas piel. *diḇēr*, *diḇēr*; *kiḇēs*, *kiḇēs* al. Vid. etiam Ewald l. c. p. 100.

4) Eodem modo imperfectum Arabum demonstrativum *hāna*, in *hāna*, *anā*, *an* conversum, sibi assumpsisse, censeo. Vid. infr.

ventem, ut syllabam -in (-iñ) ab arab. -añā ductam esse dicat¹, ad veritatem prope accedere videri posse. Sed hac re ita constituta, difficile erit probare, veteris linguae syriacae *in* in *i* abiisse (neqtlin—neqtlī). Ne arabicum quidem *a* apud Syros in *i* mutatum esse, facile, credo, demonstrabitur (jaqtulañā—neqtlīn).— Suffixo hebraico -ēhû masculini generis femininum -ehā respondet, ubi *e* sonum ita correptum invenimus ut in jiqtlēn. — Venio nunc ad suffixa pluralia linguae hebraicae, quae haec sunt: masc. -hem, -ām, -am, -m, -ēm, -em, -āmô², -ēmô², fem. -hen, -hēn, -ān, -an, -n, -ēn. In his suffixis masculina tantum recensenda sunt, cum feminina nulla fere alia re ab illis differant, quam quod *n* pro *m* habent. Complura suffixorum illorum masculini generis ad formam breviorē redigi posse, jam primo aspectu apparet. Velut -āmô et -ēmô, eodem modo quo suffixa singularia -āhû et -ēhû comparata, nihil sunt nisi -mô sonis finalibus vocum, quibus additum est, conjunctum. Similiter -ēm se habet (de -m vide infra), quod accentu amisso corripiendo -em fit. Eadem ratio inter -ām et -am³ intercedere videtur. Hujus tamen suffixi proprium *a* (*ā*) sonum esse, forma q^etālāt-am adhibita, probatur, cum q^etālāt, suffixis conjunctum, prorsus nulla prodat vestigia vocalis connexivae, vocalis cujusdam finalis dico huic vocabulo peculiaris (cfr. q^etālāt-nī, q^etālāt-hû, q^etālāt-nû). Totum igitur -ām (corrept. -am) suffixum verum se praebet. Quod quidem, cum vox, cui apponitur, vocali terminatur, in -m solum abit (q^etāl-

1) Gram. syr. p. 363.

2) In poësi usurpata.

3) Cfr. Münnich, Das althebräische Verbalpronomen (Neue Jahrbücher für Philologie u. Pädagogik. 106:ter Band, p. 82), al.

tî-m, q^etālû-m, q^etaltā-m, jiqtlē-m, sed jilbās-ām). Itaque hoc loco consideranda sunt suffixa pluralia -hem, -ām, -mô. Inter quae -hem ab hēmāh, decurtato hēm, tam apertum est ortum esse, ut non intelligam, cur Olshausenius¹ a quoddam finxerit fuisse originem e soni hujus suffixi, praesertim cum ē et e haud aliter in hēm et hem simul in usu esse videamus, quam in vocibus quibusdam tam arte inter se necessitudine junctis, ut earum ē et e sonis originem diversam tribuere prorsus nequeamus. Quod genus sunt formae plurales pronominis secundae personae, e quibus masculinum ꝑatēm sonat, femininum ꝑatēn vel ꝑatén, haud raro ꝑatēnāh, atque femininum suffixi, de quo nunc agitur, quod plerumque hen scribitur, nonnumquam tamen hēn². Cetera quoque suffixa pluralia masculini generis ex hēmāh imminuendo nata esse, existimo. Hujus vero partem priorem cum hem efficiat, -ām et -mô pars ejus posterior esse mihi videntur, ita ut -māh, literis transpositis, formam -ām, āh in ô mutato, mô procrearit. Equidem, plerosque grammaticos illud -ām pro contracto -āhem putare, haud nescius sum; sed huic sententiae refragari existimo formam antea commemoratam q^etālāt-am, quippe quae, ut q^etālat-hû vel q^etālātû (non q^etālātā-hû vel q^etālātô) al. demonstrant, e q^etālātāhem haudquaquam orta sit. Fac etiam comprobari posse, formam q^etālātam per analogiam effectam esse nec ullum in hac re testimonii pondus habere, -ām tamen ex hēmāh atque -ān ex hēnāh exstitisse, inde effici crediderim, quod pro -ān etiam nunc invenitur forma -nāh, quae, vocali connexivae conjuncta, tum -enāh tum -ānāh scribitur. — Restat, ut de suffixis tertiae personae

1) l. c. p. 113.

2) Jes. 3, 17.

dialectorum aramaicarum sententiam nostram proferamus. Sunt haec in genere masculino numeri singularis linguae chaldaicae -hî (q^etaltî-hî, qatlû-hî), -ēh (usitatissimum), -êh (cfr. 1 pers. sing. perf. conjugationis Pe'al), -ôhî, syriacae -hj, -eh (usitatissimum), -ihj, -vhj. Quae si attente inspexerimus, formam -hû, quam hoc suffixum in reliquis dialectis habet, hic proxime in -hî conversam esse, videbimus; quamquam vestigium *û* vocalis quoque in syriaco -vhj deprehendi potest. Formam -hî, quae in lingua syriaca ܚܝ (hj) scribitur, *j* (*i*) solum enunciatur, habet hoc suffixum post *û* longum (cfr. chald. qatlû-hî, syr. qatlû-hj; chald. q^etulû-hî, syr. qûtlû-hj), in chaldaica dialecto etiam post longa *î* (q^etaltî-hî) et *â* (q^etalnâ-hî pro q^etalnâ-hî). Contra in syriaca, praecedente *î* vocali, forma -vhj (q^etaltî-vhj), post *â* forma -ihj (q^etalnâ-ihj) usurpatur. Neque hae duae formae aliud sunt nisi -hû et -hî, quae in fine vocum¹ post vocalem longam in *v* et *j* (*i*) transierunt quibusque hujus suffixi signum ܚܝ postscriptum est. Velut formae q^etaltî-vhj pro q^etaltî-v, i. e. q^etaltî-hû², q^etalnâ-ihj pro q^etalnâ-i, i. e. q^etalnâ-hî (cfr. hâ + hî = hâi *illa*) positae sunt. His rebus expositis, nonnulla de -vhj et -ihj addenda sunt, quorum tamen illud nihil jam aliud observatione dignum habet, quam quod accurate separandum est ab -uhj (chald. -ôhî), in quod exeunt nominum formae plurales generis masculini, suffixo, de quo agitur, adjecto (e. g. rîsauhj). Hic enim *u* (*v*) sonus ipsius vocabuli est, non suffixi. Plura vero dicenda sunt de suffixo -ihj, vel potius de formis, quibus adjungitur. — Illae, ut supra diximus, in *a* longum ex-

¹ Cfr. I, p. 15.

² Cfr. hebr. q^etaltî-v pro q^etaltî-hû, syr. qalî-v pro qalî-û(n).

eunt, quod quidem ipsa natura sua nonnumquam longum fuisse putare possumus, ut in q^etalnā-ihj (1 pers. plur. perf. conjug. Pe^{al}) supra allato, sed plerumque, ut ultimum syllabae locum tenens, productum esse apparet, velut in qatlênā-ihj, q^etaltênā-ihj, neqtlûnā-ihj et omnibus omnino formis in -na exeuntibus atque in masculino secundae personae sing. perfecti in -ta cadente (cfr. q^etaltā-ihj — arab. qatalta, hebr. qātaltā). Paulo obscurior videtur sonus ā secundae personae singularis masculini gen. imperativi conjug. Pe^{al}, quae forma, hoc suffixo praedita, q^etûlāihj est (suffixo carens q^etûl). Si, qualis hujus fuerit origo, explicare volumus, primum ea cum aliis suffixis conjuncta, consideranda est. Suffixo feminino hujus personae adjecto, species ejus est q^etûlêh (suff. -hâ, -âh), suffixo primae personae sing. addito, q^etûlainj, plur. q^etûlain. Quas duas formas posteriores si cum formis ejusdem personae femininis, eadem suffixa habentibus, cum q^etûlî-nj dico et q^etûlî-n comparamus, perspicuum est, ipsius vocabuli formam generis masculini, cui suffixa primae personae apponebantur, fuisse q^etûlai. Quae aptissima est q^etûlêh quoque illi, de quo dixi, quod facillime explicatur, si e q^etûlaih, i. e. q^etûlai-hâ¹, contractione ortum esse conjicitur. Vix igitur dubium videtur, quin ipsa vocabuli forma in q^etûlāihj sit q^etûlai atque q^etûlāihj e q^etûlai et hî (non e q^etûlā et -ihj) compositum. Tamen in hac quaestione demonstrandum est, ai + hî vel ai + î linguae syriacae in âi revera mutatum esse. Cujus rei exemplum praebet imperativus conjugationis Ethpe^{el} verborum 𐤀, qui in masculino genere secundae

1) Cfr. huic respondens femininum q^etûlih, i. e. q^etûli-hâ, et nomina pluralia eodem suffixo praedita, ut rîsêh, i. e. rîsai-hâ.

pers. sing. habet formam $\text{etg}^{\text{e}}\text{lai}$, in feminino $\text{etg}^{\text{e}}\text{lāi}$. Hanc enim formam femininam ex $\text{etg}^{\text{e}}\text{lai} + \text{i}$, i. e. $\text{etg}^{\text{e}}\text{lāji}$ ¹, exstitisse, putandum est. Haud temere igitur contendere mihi videor, vocem $\text{q}^{\text{e}}\text{tūlāihj}$ ita conformatam esse, ut $\text{q}^{\text{e}}\text{tūlai-hi}$ per $\text{q}^{\text{e}}\text{tulai-i}$, $\text{q}^{\text{e}}\text{tūlāji}$ conversum sit in $\text{q}^{\text{e}}\text{tūlāi}$ et huic suffixi signum ח (*hj*) otiosum ascriptum. Alia quaestio est, unde $\text{q}^{\text{e}}\text{tūlai}$ illud originem ducat. Quam ad rem explicandam primum tenendum est, linguam chaldaicam, cum hoc suffixo utatur, in imperativi masculino secundae pers. sing. formas $\text{q}^{\text{e}}\text{tulēh}$ et $\text{q}^{\text{e}}\text{tuliñēh}$ (= syr. $\text{q}^{\text{e}}\text{tūlāihj}$), in imperfecti formas tiqtlēh et tiqtliñēh habere, deinde has imperfecti formas syriacae teqtlī-vhj respondere, denique dialectos aramaicas *i* vocalem in *ai* per gunationem nonnumquam mutasse (cfr. chald. rūrīn , stat. emphat. rūrājā , st. suff. rūrēhōn ; syr. rīšīn , st. constr. rīšai , st. suff. rīšaihūn). Hinc effici putaverim, Chaldaeorum imperativum non minus quam imperfectum ante suffixa demonstrativum illud $-\text{in}$, $-\text{in}$ adscivisse, deinde Syros, qui imperfecto idem fere additamentum adjunxerint, ex quo $-\text{i}$ reliquum est, etiam imperativo id tribuisse videri, postremo imperativi formam $\text{q}^{\text{e}}\text{tūli}$ ita ortam, ne eadem esset ac feminina forma ejusdem personae ($\text{q}^{\text{e}}\text{tūli}$), $-\text{i}$ suum in $-\text{ai}$ ($\text{q}^{\text{e}}\text{tūlai}$) per gunationem convertisse. — Usitatissimum tamen suffixorum masculini tertiae pers. sing. apud Chaldaeos $-\text{ēh}$, apud Syros $-\text{eh}$ est, quae formae paene solae cum nominibus sing. copulantur. Utramque ab $-\text{ih}$ ² deductam, quod est $-\text{hi}$ trans-

1) Cfr. feminin. secundae pers. plur. $\text{etg}^{\text{e}}\text{lājēn}$ i. e. $\text{etg}^{\text{e}}\text{lai-ēn}$.

2) De Syrorum *i* vocalis in *e* conversione vid. supra. Huic *e* chaldaicum \bar{e} saepissime respondet, quod ex *i* ortum esse, exempla satis multa comprobant. In quibus sunt participia typi qātēl , quod antea qātīl fuit, verba intransitiva typi qātēl , i. e. qatīla , al.

positum et correptum, saepissime vocibus consona terminatis adjunctam esse, apparet. Chaldaismus tamen formam -ēh vocali quoque interdum apposuit easque in -ê contraxit. Quod factum esse opinor in prima persona sing. perfecti, cujus forma q^etaltêh, suffixo praedita, nescio an contractione e q^etaltî-ēh vel q^etalti-ēh¹ orta sit, in secunda persona sing. imperativi et in imperfecto, ita ut q^etulêh et jiqtlêh a q^etulî(i)-ēh et jiqtlî(i)-ēh nata sint². Praeter formas masculini sing. suffixi tertiae personae Aramaeorum jam allatas post verba chaldaica interdum reperitur -ôhî, quod in libris, qui Targumim vocantur, etiam nominibus singularibus haud ita raro adjicitur. De hac forma, utpote cujus exempla mihi desint, nil certi statuere audeo. Suspicio tamen, eam hebraico -āhû³ convenienter factam esse. — Cum suffixum femininum numeri singularis in dialectis aramaicis idem sit atque in ceteris (-hâ, -āh) neque ejus adjunctio ullam difficultatem habeat, postremo tantummodo de suffixis pluralibus tertiae personae, quae nominibus chaldaicis⁴ et syriacis conjunguntur, nobis nonnulla dicenda sunt. E quibus suffixis chaldaica sunt -hôn vel -hôm masc., -hên fem., syriaca -hûn masc., -hên fem.; quae omnia in utraque lingua eadem primitus fuisse, perspicuum est, quamquam dialectus chaldaica, qualis exstat, ū vocalem cum ô mutavit. Haec suffixa e pronomibus personalibus, quae eis respon-

¹) Cfr. hebr. q^etaltîhû v. q^etaltîv.

²) Forma infinitivi suffixo instructa miqtlêh (inf. miq^tal) e miq^t-al-ih transposito vel e miq^tlaih forsitan exstiterit. Sed tamen miq^t-liñēh, quod simul cum miq^tlêh in usu est, significat, miq^tlêh potuisse e miq^tlî(i)-ēh contrahendo fieri.

³) Cfr. Merx, l. c. p. 366.

⁴) Vid. supra de suffixis pluralibus, quae verbis chaldaicis adjunguntur.

dent, non eodem plane modo, quo ex suis pronominibus suffixa pluralia tertiae personae arabica et aethiopica, formata videntur. Namque haec, pronomibus paulatim correptis imminutisque, orta sunt, illa vero sunt pronominum partes posteriores, pro suffixis prius habitae, quam duae illae partes principales (hûn-hûna, hûn-hîna) ita conflatae essent, ut *h* sonus partis posterioris elideretur, id quod posteriore demum tempore factum esse, inde potest colligi, quod dialectus chaldaica formas etiamnunc habet ʾinhên, ʾinhê sim.

Venio nunc ad eas verborum nominumque partes, quae praefixa et affixa vocantur originemque suam pronominibus tertiae personae debent. Ex his praefixa primum breviter exponemus. Ex quibus unum jam supra (p. 14) commemoravimus, quod tertiae personae imperfecti verborum praepositum est. Hoc praefixum, quod in lingua arabica forma ja-, hebraica et chaldaica ji-, aethiopica je-, assyrica i-, syriaca n(e)- praeditum est, vim tertiae personae habere ideoque a pronomine ejusdem personae originem ducere, ostendimus. Quod pronomen quale fuerit, elucebit, si themata illa pronominum tertiae personae, a nobis supra posita, havama, hvama, hjama consideraverimus. Ex his enim thematis, quorum alias aliud ad tertiam personam declarandam adhibitum esse quaeque nullum certum genus significasse diximus, postremo allatum hjama eo ipso modo comparatum est, ut principium esse possit illius praefixi. Neque majores fuerunt mutationes illius hjama vel hjana in praefixi formas abeuntis, quam quae naturae linguarum semiticarum convenirent. Idem thema fons esse videtur praefixi hin- vel ʾin-, quod verbis, formam eorum principalem antecedens, potestatem passivam aut reflexivam tribuit. Hoc praefixum in dialectis arabica (conjug. VII),

hebraica (conjug. Niphal), assyrica ¹ reperitur. Ex ceteris pronominis tertiae personae thematis vel potius reliquiis eorum nullum verbis praefixum esse, putaverim. Num vero praefixa nominum aliorum praeter ea, quae ex verbis illis passivis aut reflexivis orta sunt, ab ullo illorum thematum originem acceperint, me nescire fateor. Video equidem, praefixum nominale *j*, quod, ut Dietrichius ² fuse exposuit, substantivis abstractis, adjectivis, nominibus stirpium et animalium praeponitur, unum idemque esse atque *j* imperfecti eamque ob causam ex *h*jama ortum esse posse. Hoc tamen pro certo minime est habendum.

Verborum vero nominumque affixa multa sunt, quae pro reliquiis pronominis tertiae personae haberi possint. Sed haec cum longiorem requirant disputationem, quam quae hujus libelli finibus comprehendi tota possit, summas tantummodo res attingam, quae quidem aliquid probabilitatis habent. Atque eo quidem modo in hac quaestione verborum, ut ex reliquiis illis pronominum primum eas, quae in singularibus vocibus, deinde eas, quae in pluralibus insunt, considerem.

Numerum singularem verborum intuentes, nullum in perfecto reperimus affixum, quod e pronomine tertiae personae ortum esse videatur. In imperfecto vero (et imperativo) has ejusmodi reliquias jam vidimus: secundae personae terminationem femininam *-îna* (*-în*, *-î*), quae quia femininum sing. significat, eam ex *hîna* (*hjana*) ductam esse statui; syllabas *-in-*, *-en-*, *-î-*, *-ê-*, *-e-*, quas Hebraei Aramaei que suffixis praeponunt quasque ex *în*, *hîn* sive potius per *hîn* ex *hîn* profectas videri dixi. Prae-

1) Oppert, l. c. p. 60; Schrader, l. c. p. 276.

2) l. c. pp. 136—154.

terea afferendae sunt terminationes -an et -a \bar{n} a, quarum illa in formis imperfecti (et imperativi) arabicis (energ. II) et hebraicis, haec in arabicis (energ. I) augendi et cumulandi vim habent. Atque origo quidem harum diversa esse non magis potest quam origo formarum ʿan et $\text{ʿa}\bar{n}$ a, quae una eademque sunt conjunctio in lingua arabica¹. Ejusmodi vero commune principium cum circumspicio, aliud vix fingere posse mihi videor, quam illud $\text{h}\bar{n}$ a, pronominis tertiae personae proprium idemque vi demonstrativa etiam tum praeditum neque genus certum exprimens. Hanc formam in -an abire potuisse, ex eis, quae jam exposui, satis elucet, potuisse in -a \bar{n} a converti, difficilius est probatu. Invenimus sane, si linguarum omnium rationem habemus, multa ejusmodi permutationis exempla, siquidem notum est, frequenter fieri in quibusdam linguis, ut correptio longae vocalis vel diphthongi sequentis consonae geminatione compensetur, et contra, ut, cum in locum geminatae consonantis simplex successerit, praecedens vocalis producat. Itaque in graecae linguae aeolica dialecto ἔστελλα pro ἔστειλα , ἐνέμματο pro ἐνείματο , ὄρενιος pro ὄρεινός , ἴλλαος pro ἴλαος , propr. ἴσλαος , cet.² usui sunt; in lingua hebraica $\text{q}\bar{\text{i}}\text{m}\bar{\text{o}}\text{s}$ ³ et $\text{q}\bar{\text{i}}\text{m}\bar{\text{o}}\text{s}$ ⁴, $\text{p}\bar{\text{i}}\text{legēs}$ ⁵ et $\text{p}\bar{\text{i}}\text{lēgēs}$ ⁶, $\text{h}\bar{\text{a}}\text{m}\bar{\text{i}}\text{s}\bar{\text{i}}$ ⁷ et $\text{h}\bar{\text{a}}\text{m}\bar{\text{i}}\text{s}\bar{\text{i}}$ ⁸, $\text{m}\bar{\text{o}}$

1) Etiam linguae hebraicae terminationi cohortativae -ah, quae in imperfecto primae personae adjungi solet, in imperativo secundae apponitur, ob similitudinem, quam cum arabico -an, -a \bar{n} a et sono et usu habet, eadem origo atque illi tribui debet.

2) Schleicher, Comp. p. 60; Westphal, Method. Gramm. der griech. Sprache. I, pp. 70, 71.

3) Hos. 9, 6.

4) Jes. 34, 13.

5) Gen. 22, 24, alib.

6) 2 Sam. 3, 7, alib.

7) Gen. 30, 17, alib.

8) Lev. 19, 25 (fem.).

riḡim¹ et mōriḡim², al.; in aram. maḏēn et māḏēn, haḡā et hāḡā, haḡām et hātām, ʿilēn = arab. ʿūlāʿi, lēhaḡā et lēhāḡā, dēk et dikēn al. Ipsa vero Arabum dialectus, de qua hic quaeritur, certa hujus mutationis exempla non praebet, cum, si qua proferri possunt, in eis consonae geminatio etiam aliter possit explicari. Velut ʿāna *ut, quod* ex hāna, ṭāna *ibi* ex tāna, ṭūna *tunc* ex tūna, ʿīna *sane* ex hīna, haḡā *ibi* ex hāna, ʿālāḡi *qui* ex hālaḡi probabiliter illa quidem, ut mea fert opinio, orta esse putantur, sed tamen etiam alius originis existimari possunt. Plus forsitan ad hanc rem demonstrandam valeant particula lamā *nondum*, quam Lagus³ e lâ + mā (perdurationis) compositam esse putat, et formae variatae ʿūlā, ʿulā, ʿulā, quas Hupfeldius⁴ attulit. Sed his exemplis plane confidere vix licet. Quamquam igitur non possum nisi incerta e lingua arabica eruere argumenta, quibus terminationem -āna energ. primi ex hāna ortam esse comprobem, tamen exempla ex aliis linguis deprompta, ut hanc illius terminationis originem fuisse habeam, me adducunt, praesertim cum, linguam arabicam in hoc exitu formando eandem consonarum legem atque aramaicam in terminatione -iḡn procreanda secutam esse, perspicuum sit, quam legem eam fuisse, ut *n* consona, praecedenti vocali correpta, geminaretur, exempla aramaica supra allata haud mediocriter confirment. Alias vero pronominis personalis tertiae personae reliquias inter affixa singularis numeri verborum esse, non statuerim. Nam naturam veram sonorum, qui praeter illos in ejusmodi reli-

1) 1 Chron. 21, 23. 2) 2 Sam. 24, 22.

3) Ar. Gr. p. 136. Cfr. De Sacy, Gramm. ar. I, p. 516; Id. Anth. gram. 108 (arab.).

4) l. c. p. 161.

quius referri posse videntur, tum demum perspicere licebit, cum soluta erit quaestio illa gravissima, quae versatur in dijudicando, utrum imperfectum verbale an nominale fuerit primitus. Hac demum re constituta, elucebit, sitne *u* finale in jaqtulu, taqtulu al. origine pronomem an ideo tantum exstiterit, quod finali *a* formae principalis qatala opponi debuerit. Relictis igitur affixis verbi singularis numeri, ad affixa nominum ejusdem numeri tractanda transgrediamur.

Hanc rem, quamvis late pateat nec in hoc libello aptum habere locum videatur, tamen perstringere audeo, et primum quidem eam ob causam, quod Philippius in libro, quem saepe jam commemoravi, de eadem re accurate disputavit, deinde vero, quod spero fore, ut, quae de pronomine personali tertiae personae adhuc disputavi, nonnihil valeant ad hanc quaestionem absolvendam. Cujus primum locum obtineat enumeratio affixorum nominalium eorum, quorum de origine quod dicam me habere puto. Sunt igitur ea affixa in lingua arabica terminationes nominativi -uⁿ et -u, accusativi -aⁿ (اⁿ) et -a, quae in nominibus diptotis, quae vocantur, etiam genitivum significat, usitati denique exitus genitivi -iⁿ et -i; in aeth. terminationes nominativi -e¹, accusativi -hâ et -a, status constructi -a, vocalis -e², nomina singularia cum suffixis conjungens; in hebr. -âh locale, terminationes stat. constructi -î, -ô, -û vocalesque connexivae -ê (-e) et -â, quae sunt inter nomina singularia et suffixa eorum; in aram. stat. emphatici signum -â; in amhar. exitus accusativi -en³, in assyr. terminati-

1) Vid. Dillman, Acth. Gr. pp. 60 sqq. 252 sqq.

2) l. c. pp. 279 sqq.

3) Isenberg, l. c. pp. 40 sq.

ones -um, -u, -im, -i, -am, -a, e quibus -um, -u notae sunt nominativi, -im, -i et -am, -a casuum obliquorum¹; signa denique nominis relationis, quae sunt in lingua arab. -iĵ, in hebr. et aeth. -î, in aram. -ai. Ex his affixis arab. exitus et nominativi et accusativi, Philippium secutus, jam supra (p. 21) ita exposui, ut illos e formis pronominalibus hun et hû, hos ex han et hâ flexos dicerem, in eo tamen ab illo viro doctissimo dissentiens, quod *n* consonam pronominum hun, han et terminationum -un, -an ex nativo *m* ortam esse statui. Ac veritas sane totius hujus sententiae, ratione congruentiae illarum terminationum pronominumque habita, adeo perspicua mihi fieri videtur, ut argumentatione majorem ei probabilitatem conciliare nequeam et ne velim quidem in eo elaborare, cum Philippus de ea re fusissime et latissime disputarit. Idem haud scio an id quoque recte statuerit, terminationes -an et -a vices quondam alternasse similiterque -un et -u, sed nunatione instructos exitus paulatim invaluisse, velut in numero plurali formando². Neque enim est, quod, quin hoc factum sit, dubitemus. Eundem tamen, cum terminationes illas *ab initio* variasse contendat³, nimium dicere, crediderim. Cum enim nesciamus, quibus formis induta pronomina hujus personae signa casuum primum facta sint, hoc fieri potuisse, necesse est concedamus, antequam diversae inter se formae hun et hû, han et hâ ex hûn (hûm) et hân (hâm) essent natae. Quae cum ita sint, quid de hac re sentiam, eis fere verbis exprimere voluerim, ut dicam, arab. terminationes accusativi ejusdem esse originis atque pro-

1) Schrader, l. c. p. 232; Oppert, l. c. p. 10.

2) l. c. pp. 189—191. Cfr. Hupfeld, l. c. p. 145 alib. Vid. tamen infra de num. plur.

3) l. c. p. 189.

nomen personale tertiae personae cum *a* vocali, nominativi autem eundem habere fontem, quem pronomen illud *u* vocali praeditum. Quarum terminationum quae vim accusativi in se includunt, eis origine congruere manifestum est Aethiopum terminationes accusativi *-a* et *-hâ*, quod primum quoque sonum pronominis personalis continet, Assyrorum *-am* et *-a* amharicumque exitum *-en*. Jam vero si consideramus, accusativum in linguis semiticis esse etiam casum adverbialem, qui tempus, locum, modum exprimat, causam habemus probabilem, cur originem hebraici *-âh* localis¹ ad idem referamus principium. Eandem autem originem assyricis *-um*, *-u* quam arabicis *-un*, *-u* tribuendam esse, nemo non videt. Indidem Aethiopum terminationem nominativi *-e*² ductam esse, verisimile est. — Sed antequam de reliquis affixis nominalibus sing. num. dicere aggredimur, de universa flexura nominum semiticorum nonnulla proponenda sunt. Ut indogermanica, item haec nomina diversum in diversis dialectis continent numerum terminationum, casus experimentium. Et inter dialectos semiticas principatum hujus rei vindicat arabica, quippe quae et nominativum et accusativum et genitivum terminationibus distinguat; secundum locum tenet lingua assyrica, quae, quamquam eisdem fere terminationibus atque arabica praedita est, tamen non tam certo modo quam haec eis utatur, tertium aethiopica, tantummodo nominativi et accusativi terminationibus praedita, quartum hebraica et aramaica, quae nullum reapse habent affixum, quo veros aut nominativum aut accusativum aut genitivum denotent. Quamquam etiam in dialectis ultimo loco commemoratis vestigia affixorum

1) Hoc temporis quoque nonnumquam est signum; quin etiam accusativus objecti hac terminatione praeditus invenitur.

2) Cfr. tamen infra.

nominalium, origine cum arabicis conspirantium, deprehendi possunt, velut -āh illud locale, de quo jam diximus. Quae cum ita sint, de natura casuum semiticorum duas esse posse sententias, apertum est; nam aut solam arabicam linguam credi potest trium casuum, ceteras autem aut pauciorum aut nullius omnino, qui quidem jure sic appelletur, terminationes finxisse, aut harum quoque dialectorum nominibus easdem fere atque arabicis initio fuisse terminationes, quae, lingua tamquam degenerante et nova subsidia ad rationes nominum in oratione exprimendas sibi assumente, partim vim antiquiorem amiserint, partim evanuerint omnino. Sed prior harum sententiarum vix cuiquam hodie placebit. Quid enim? Si, ut exemplo rem explenam, duas examinaverimus alius generis dialectos, tam propinqua cognatione inter se conjunctas, quam sunt arabica et hebraica, putamusne fieri posse, ut altera tres casuum terminationes, altera nullam generasse reperiatur? Minime vero. Contra in sententia posterius allata nihil inest, quod rebus jam cognitis ac perspectis adversetur. Et confirmat eam Arabum lingua vulgaris, quae in numero singulari non retinuerit nisi exitum accusativi, in plurali antiquam terminationem casuum obliquorum etiam ad nominativum denotandum adhibeat. Neque in linguis indogermanicis desunt, quibus ea res comprobetur. E linguis quidem romanicis, quae vocantur, francogallica et hispanica terminationi, accusativum solum primitus exprimenti, nominativi quoque potestatem attribuerunt. Quin etiam lingua suecana se et magnam partem vetustarum terminationum nominalium amisisse et notionem earum mutasse ostendit. Hoc ut intelligas, consideres velim, ut alia exempla nominatim non afferam, casuum obliquorum formas nārvaro et frānvaro, quae etiam pro nominativis nārvara

et frānvara ponuntur. Haec similiaque si reputaverimus, non dubitabimus, opinor, quin universo Semitismo communis olim fuerit flexura nominum, si non omnibus, certe plurimis rebus cum arabica congruens¹. Hoc si conceditur, id quod necessarium videtur, terminationibus casuum linguae arabicae ceterarum dialectorum exitus nominales comparando vel potius tamquam applicando, horum pristinam formam indagare nos facilius posse, manifestum est. — Qua in quaestione facillime naturam suam aperiunt vocales connexivae, quae ante suffixa usurpantur, cum causa nulla sit, cur eas aliud esse putemus ac reliquias terminationum casuum². Itaque satis certo contendere licet, Hebraeorum vocalem connexivam -ā in formis, qualis est sūsā-hû, vetustam esse accusativi notam, terminationi arabicae -a, -aⁿ respondentem atque, flexura nominum hebraeorum magis magisque dissoluta, formis eorum singularibus nullo discrimine affixam. Difficiliorem explanationem habere videtur ejusdem linguae nominum vocalis connexiva -ē (ut ē vocis sūsē-nû — cfr. supra p. 37 de sadēhû), quoniam origo ejus, quamquam *i* vocali proxime debetur, tamen interdum, ut in hēmāh (vid. p. 30), etiam ab *û* repetenda est. Sed *i* sonum, *û* et *ā* exclusis, generalem factam esse vocalem numeri pluralis considerantes, *i* quoque sing. num., quamvis genitivi nota ab initio fuerit, tamen, flexione degenerante, eodem modo quo *ā* nominibus singularibus omnino appositum esse et tum illud *ē* procreasse, jure nostro concludere videmur. Atque probabile est, eodem modo, quo imperfecti hebraici forma jiqtlē- a jiqtlin- per jiqtlēn- (vid. p. 39)

1) Hanc sententiam, quia proxime ad eam accedit, in quam Philippus (J. c. pp. 155—125) fuse accurateque disputavit, breviter tantum hoc loco exponendam putavi.

2) Cfr. de hac re Schröder, Die phön. Spr. pp. 147 sq.

derivata est, ita sūsē- a sūsīn per sūsēn ortum esse, ideoque ē vocalem idem valere atque exitum genitivi Arabum -īn. Denique quod ad Aethiopum e attinet, quo forma nominativi sing. et suffixum colligantur, ei haud dubie communis est origo cum exitu -e, qui in nominativo nonnullorum nominum etiamnunc reperitur ¹. — Inter affixa singularia, quae praeterea enucleanda sunt, incipiamus a signo nominis relationis atque terminatione genitivi singularis. Quae duo affixa intima necessitudine inter se nexa esse, plerique ², qui hanc quaestionem attigerunt, fassi sunt, Philippus ³ etiam fuse demonstravit. Fleischerum quoque talem intercedere cognationem probantem me audire memini. Nec sane habemus, quod in contrariam partem dicamus, quandoquidem nomen relationis et forma et notione cum genitivo conspirat, idque eo usque (iudice Fleischer), ut vix semper certo dijudicare liceat, utrum vox aliqua sit forma nisbatica an genitivus ⁴. Probetur quoque oportet Philippii aliorumque ⁵ sententia, qui genitivum nomine relationis priorem ejusque quasi fontem censent, praesertim cum hodieque in linguis nunc vigentibus nobis quasi ad aures veniant genitivi quidam adjectiva relationis formantes. Sic, ut exemplum e lingua suecana petam, adjectivum relativum *stackars miser* ("stackars gosse", "stackars flicka", "den

1) Cfr. infra.

2) Dietrich, l. c. p. 90; Hupfeld, l. c. p. 470; Ewald, l. c. p. 427 al.

3) l. c. pp. 193 sqq.

4) Hic fortasse non erit alienum monere, qui nomen relationis necessitudinem cum genitivo habere statuat, eum generalem flexuram nominum semiticam, quae ad arabicam proxime accedat, probare necesse esse, cum nomina relationis inveniuntur in plurimis linguis semiticis (arab., aeth., hebr., chald., syr., assyr., pun. al. Vid. Schrader, l. c. p. 214; Schröder, l. c. p. 167).

5) Hupfeld, l. c.; Dietrich, l. c. al.

stackars gossen", "den stackars flickan") nihil aliud est quam genitivus vocis stafkarl *mendicus* (proprie *homo baculi*). Uni tamen Philippii sententiae de origine nominis relationis assentiri non possum. Quae his ejus verbis continetur: ¹ — "so entstand, inquit, aus dem abhängigen Genitiv ein selbständiges Relativ-Nomen. In diesem Falle verlängerte sich das kurze *i* zum Ausdruck der gewonnenen Selbständigkeit des Nomens zu einem langen und aus diesem $\text{e} = \text{ward}$ dann ein $\text{e}^{\text{2}} = \text{---}$." Hoc cur mihi displiceat, planius demonstrare potero, si quae causa eum, ut ita sentiret, adduxerit, significaro. Pendet igitur illa sententia ex persuasione ejus de exitu genitivi, quem ortum esse dicit "nur durch Verfärbung der bis dahin für beide Casus (genit. et accusat.) gemeinsamen Casusendung." Cum enim ista "mutatio coloris" ("Verfärbung"), ne legibus sonorum prorsus adversaretur, ita facta esse putaretur, ut *a* in *i*, non *á* in *í* transiret, -*i* vel -*ij* sonum nominis relationis, qui originem a genitivo duceret, productione vocalis creatum haberi necesse fuit. Sed hanc rationem ne amplectamur, haud paucae res nobis tamquam dissuadent. Nam primum quod vir ille doctissimus ex *a* per *i* natum arbitratur *í* longum, quod, quia nomen relationis significat, omnibus fere Semitis commune est, id argumentis satis levibus ductus statuere videtur². Deinde haud bene intelli-

1) l. c. p. 195.

2) Equidem scio, e permutationibus, quibus obnoxiae fuerunt vocales typi qatala, argumenta colligi posse, quibus *a* sonum in quamlibet vocalem semiticam versum esse comprobari posse videatur (qatala, qatila, ma-qatila, ta-qatila); sed interior illa stirpis flexura, cujus ratio nondum ad liquidum perducta est, mihi videtur injuria pro fundamento haberi, quo nitantur generales vocalium permutationes, velut eae, quas in flexura exteriori, de qua hic quaeritur, observatas quispiam velit. Nam quantum

gitur, cūr "libertas nominis" ("die Selbständigkeit des Nomens") vocali producta denotata sit, siquidem in lingua, flexione integra etiamtum praedita, libertas illa, nova terminatione nominali (in nominativo arab. -uⁿ) formae genitivi adjungenda, satis significabatur. Postremo, si originem flexionis nominum semiticorum singularis numeri consideraverimus, vehementer offendamur necesse est, quod vocales nominativi et accusativi longas (-û, -â), genitivi brevem primo fuisse judicat, praesertim cum haec quoque vocalis longa nonnumquam sit, id quod infra, cum de statu constructo quaeremus, videbimus et Philippius ipse concedit. Quas omnes res si perpendimus, facere non possumus, quin statuamus, *î* longum non minus esse genitivo peculiare quam *â* longum accusativo ideoque *î*, quod in formis nisbaticis exstat, non novum sonum esse, sed eundem, quem genitivus habet. Nec mirum est, hanc vocalem cum exitu arabico -uⁿ in -ijūⁿ confusam esse¹. Eadem in dialectis hebraica atque aethiopica² immutata mansit, in assyrica³ et aramaica gunatione in -ai⁴ versa est, unde lingua syriaca, terminatione status emphatici -â assumpta, producendo -ājâ effecit⁵ (cfr. arab. mizrijūⁿ, hebr. mizrî,

in periculum hac via nos inferamus, cum alia tum plurales fracti, qui vocantur, ostendunt. E quibus, ut unum saltem exemplum proferam, velim meminere formae quâtâl, a singulari qâtîl deductae. Hujusmodi exemplo nixus, num eam sonorum legem quisquam constituere audebit, ut Arabum *â* in *u*, *i* in *â* transeat? Vix crediderim. — Cfr. de flexura illa interiore Delitzsch, Studien über Indogermanisch-Semitische Wurzelverwandtschaft, pp. 36, 37.

1) Cfr. barijatūⁿ pro barî'atuⁿ sim.

2) Dillmann, l. c. pp. 198 sqq. Sunt etiam term. -âî et -âvî.

3) Schrader, l. c. p. 214.

4) Vid. supra p. 44.

5) Hoffmann, l. c. p. 250.

chald. mizrai, syr. mezzājâ). Sed probato, in terminatione genitivi linguarum semiticarum *i* longum fuisse, quod eandem rationem ad exitum arabicum -iⁿ habuerit, quam accusativi nota -â ad -aⁿ, ne potest quidem fieri, ut genitivus ab accusativo deductus putetur. Nam etiamsi causa esset credendi, exitum -iⁿ esse -aⁿ quasi decoloratum, nil tamen esset causae, cur *â* variatione quapiam in *i* mutatum esse censeremus. Ceterum, si hanc rem universam consideramus, intelligi prorsus non potest, cur formatio genitivi magis fortuita judicari debeat quam accusativi. Nam etsi accusativus casus, ut Philippius aliique putant, fortasse est omnium vetustissimus, ejusque terminatio in lingua arabica vocabulis diptotis etiam genitivi vim tribuit, hoc tamen non est satis causae, quare genitivum ex accusativo ortum existimemus, et quidem eo minus, quod videmus, in eadem lingua *i* sonum numeri pluralis, qui *i* singulari aperte respondet, eodem modo, quo *a* in diptotis illis, ad denotandum et genitivum et accusativum valere. Mihi quidem consentaneum videtur, ut notam accusativi et pronomem tertiae personae, *a* vocali praeditum, unius ejusdemque originis esse statuimus utque item signum nominativi et formas ejusdem pronominis, *u* vocali instructas, ab eodem principio derivata esse judicamus, sic nos genitivum et pronomem tertiae personae, in quo *i* vocalis inest, ab eadem origine repetere. Neque id sine idonea causa faciemus, quoniam, ut saepius jam indicavi, pronomina illa notionem generum diversorum non a principio habebant, sed erant variae formae ejusdem pronominis demonstrativi, tertiam personam designantis. Praeterea manifestum est, vim genitivi voci cuiquam addi non minus potuisse pronomine tertiae personae, *i* sono praedito, quam ejusdem personae pronomine, *a* vocali instructo. — Sequitur, ut de eis affixis nominum singularium, quae

statum constructum exprimunt, dicendum sit. In quo non erit opus de natura status constructi disserere, cum eam ill. Fleischer in scriptis suis minoribus ¹ doctissime explicaverit atque Philippus, eum secutus, fuse et late tractarit, sed eos, qui de ea doceri desiderant, ad scripta horum auctorum delegantes, ordiemur a re quadem ab eodem Philippo demonstrata. Comprobavit enim firmissimis argumentis, affixa nominalia, statum constructum significantia, vetustas esse terminationes casuum ². Ex his terminationibus primum observanda est -û, quae in hebraica lingua rara (cfr. ha \bar{m} û- \rightarrow êl ³), in punica frequentior est (cfr. ca \bar{s} rû-ba \bar{c} al ⁴ sim.). Hoc affixum Hebraei interdum etiam in statu absoluto usurpant (cfr. ga \bar{s} mû ⁵). Idem mimatione praeditum (-ûm) in lingua himjarica nominibus singularibus omnino adjungitur ⁶. Quamquam non negaverim, hunc exitum -ûm nonnihil dubitationis mihi afferre (vid. infra). Sed utcunque haec res se habet, non potest illud hebr. et pun. -û non esse terminatio nominativi antiqua. Deinde in lingua hebraica voces haud paucae, in statu constructo positae, ê vocali terminantur. In hunc exitum idem cadit, quod supra monui de nominum vocali connexiva -ê; uterque enim ortus esse videtur e signo genitivi, flexura sensim debilitata, ad totum numerum singularem designandum adhibito. Idem denique Hebraeorum status constructus

¹) Vid. Berichte über die Verhandl. der K. Sachs. Gesellsch. d. Wissensch. 1856, 1862, cet.

²) Cfr. Praetorius (ZDMG, Bd. XXVII, pp. 639 sqq.).

³) 1 Chr. 4, 26.

⁴) Schröder, l. c. pp. 177 sqq.

⁵) Neh. 6, 6.

⁶) Osiander (ZDMG, Bd. XX, pp. 232 sq.).

exire solet in -ô vocalem, quam, cum *â* soni in *ô* mutatio apud hanc gentem usitatissima sit, viri docti pro antiqua nota accusativi habent atque id eo meliore jure, quod Aethiopes quoque, statum constructum -a vocali exprimentes, terminationem accusativi in omnibus numeri singularis casibus usu paulatim esse receptam, indicant¹. Hebraicum -ô igitur, statum constructum significans, vocali connexivae hebraicae -ā respondet. — His rebus explicatis, terminationes casuum singularium Semitismi antiquioris non tantum -û, -um(n) et -â, -am(n), verum etiam -î, -im(n) fuisse, apparet. E quibus num exitus nominativi et accusativi duplices primitus fuissent, cum in dubitationem supra vocaverimus, hic ad genitivi quoque jam repertas terminationes -î, -im dubitationem nostram pertinere, intelligitur. Quod si in ipsa lingua, quae nunc exstat, quaevis terminationes vetustiores, e quibus duplices illi exitus enati sint, eas reperire vix possis. Nam finge commune principium terminationum -î et -im, quod -îm fuisse haud dubie putandum est. Num fieri potest, ut lingua hac terminatione genitivum singularem etiamnunc exprimat, cum ea jam sit nota numeri pluralis? Nonne etiam dubitandum est, num himjaricum -ûm, quod supra commemoravi, revera sit terminatio numeri singularis, siquidem in hac quoque dialecto exitum fuisse pluralem, qui arabico -ûna responderit, recte concludimus? Sed etsi, ut equidem puto, vestigia ne possumus quidem ejusmodi deprehendere, unde tanquam ex fontibus communibus fluxerint -û et -um cet., tamen has terminationes duplices ab initio non fuisse, conjectura judicare possumus. Atque huic sententiae videmur

1) Hinc elucet, fieri potuisse, ut terminatio nominativi Aethiopum -e non ex -u, sed ex -a attenuando nasceretur (vid. supra).

tum saltem assentiri debere, si plerosque, qui de hac re posterioribus temporibus quaesiverunt, secuti, toti Semitismo communem nominis singularis flexuram ideoque commune signum nominativi fuisse, sono nasali instructum, probamus. Nam cum hoc signum ab *hûm* derivari nequeat, quia ejusmodi forma pronominis personalis tertiae personae, ut supra (p. 27) demonstravi, in dialectis hebraica, chaldaica, syriaca non invenitur, certe origo ejus ab *hûm* repetenda est; quae quidem res, ut terminationem nominativi *-ûm* fuisse indeque imminuendo *-û* aut *-um* exstitisse sumamus, nos adducit. Huc facit, quod condicio linguarum omnium, formas variantes, sono inter se cognatas, ex una forma ortas esse, ostendit. Itaque, quamquam argumentis certis firmari nequit, tamen verisimillimum mihi videtur, nomen semiticum antiquissimis temporibus, numero plurali a singulari nondum distincto, tres habuisse terminationes *-ûm*, *-îm*, *-âm*. Quin etiam, *h* sonum in Aethiopum terminatione accusativi *-hâ* apparere, considerantes, quam proxime ad verum accedere nobis videmur, si primaria signa nominalia *hûm*, *hîm*, *hâm* fuisse ponamus. — Restat, ut de Aramaeorum exitu *-â*, statum emphaticum exprimente, nonnulla dicamus. Hunc quoque Philippus¹ olim accusativi notam fuisse vult. Cur autem is ad nomina definienda praecipue valeat, formas nominales assyricas et himjaricas, mimatione praeditas, adhibendo declarare conatur. Dicit enim, ut in his linguis mimitio signum definitivum facta sit, haud aliter in lingua aramaica accusativi terminationem *-â*, flexura neglecta, ad nomina definienda esse usurpatam. Hic tamen Philippium argumento admodum infirmo usum esse, clare apparet. Nam himjarica dialectus, ut docuit

1) l. c. pp. 197 sqq.

cel. Osiander¹, mimatione in nominibus et definitis et indefinitis usa est; de assyrica autem Schrader: "Eine bestimmte, inquit, begriffliche Bedeutung der mimirten Aussprache lässt sich überall bei der Beschaffenheit, in der uns das Assyrische jetzt in den Texten vorliegt, ebensowenig aufzeigen wie bei derselben Erscheinung im Himjarischen²." Nihil igitur hae linguae adjuvant Philippium. Et minus etiam probabilis videbitur ejus sententia, si terminationem, de qua quaerimus, cum reliquiis casuum comparaverimus, quae supersunt in lingua hebraica, cujus flexura nominum simillima est aramaicae. Nam eis ipsis locis, ubi dialectus hebraica reliquias illas potissimum servat, velut in statu constructo, ante suffixa, in nominibus propriis, ibi aramaica terminationem status emphatici respuit³. Potius igitur in sententiam Ewaldi⁴ hactenus concesserim, ut illum *ā* sonum non idem esse atque signum accusativi⁵, sed articulo Arabum atque Hebraeorum proxime accedere censeam. Sed accuratior de hac re quaestio, cum terminos hujus libelli excedat, in praesentia omittenda est.

Nunc ad affixa pluralia tertiae personae considerata transeamus, et prius ad verbalia, deinde ad nominalia. Verbalia igitur affixa, ut jam significavi, terminationibus pronominum pluralium, quae eis respondent, simillima sunt. Quam ad rem planius demonstrandam inter se compare-

1) l. c. p. 231.

2) l. c. p. 238. Hoc opus post Philippii librum de Stat. constr. editum est.

3) Hoffmann, l. c. p. 258; cfr. de lingua neo.-syr. Nöldeke, Neusyr. Gr. p. 114 sqq.

4) Vid. "Abhandl. über die gesch. Folge etc." pp. 12—18.

5) Neque tamen nego, fieri posse, ut haec duo *ā* etymologice inter se cognata sint.

mus terminationes horum pronominum atque verborum inter se respondententes. Habent igitur apud Arabes pronomina, de quibus agitur, terminationes -û masc., -na fem., verba autem -û, -ûna masc., -na fem.; apud Aethiopes pronomina -ûn masc. -ân fem., verba -û masc., -â fem.; apud Aramaeos pronomina -ûn, -ôn masc., -în, -ên, -ân fem., verba -û, -ûn masc., -â, -ên, -ân fem.; apud Assyros pronomina -u masc., -a fem., verba -u masc. -â fem.¹; apud Samaritas pronomina -vn masc., -jn fem., verba -v, -vn masc., -j, -n fem. Singularem hanc convenientiam reputantes, exitus numeri pluralis tertiae personae pronominum atque verborum eandem habere originem, pro certo habemus. Atque etiam nostro jure colligimus, linguam hebraicam, quae sola a ceteris dissentire videtur, cum in ea exitus pronominis et verbi eo dissimiles sint, quod masculinum illius in -âh exeat, hujus in -û, item ut reliquas dialectos, formam pronominiis pluralem tertiae personae -û (-ûm, -ûn) sono² terminatam quondam habuisse. Sed cum similitudo affixorum pluralium verbi et pronominis non ita explicari possit, ut pronomina sua affixa a verbis petivisse statuatur, id enim absurdum esset, relinquitur, ut verba terminationes plurales pronominis tertiae personae sibi adsciverint. Quod quamquam sic se habet, credendum tamen non est, haec pronomina, cum terminationes eorum in affixa pluralia verborum verterentur, talia, qualia nunc sunt, fuisse. Sic, ut exempla pauca afferam, arabicum jaqtul-ûna ostendit, pronomen hum-û (aeth. ρ em-ûn) tum, cum terminatio verbalis -ûna nasceretur, humûna sonnisse, itemque syriacum qatl-ênâ-(kûn) videmus natum esse,

1) Schrader, l. c. pp. 245, 265. Pronomina ipsa sunt sun-u m., sîn-a f.

2) Vid. supra p. 30. Cfr. suff. -mû = eos.

quo tempore pronomen ʾen-ên sonum pleniorē quam nunc haberet.

Ac verborum quidem affixa pluralia sine negotio expeditivimus; nominum non aequē facilem habent explicatum. Quae plerumque ex affixis singularibus productione vocalium orta esse putantur. Nec negaverim, hanc sententiam primo saltem aspectu ad quaestionem solvendam idoneam videri (cfr. arab. ʿabduⁿ sing., ʿabdūna plur.; ʿabdiⁿ sing., ʿabdīna plur.; gaṇatuⁿ sing., gaṇātuⁿ plur.). Sed tamen re diligentius considerata, difficultatem quandam affert, quae majoris est momenti, quam ut eam negligere possimus. Neque enim masculini pluralis terminationi -ūna, nominibus adjunctae aliam, aliam verbis additae recte tribuere possumus originem. Ac prope est, ut si quis hanc differentiam defendat, eum non ex animi sententia loqui credamus. Quod cum ita se habeat, nominum exitum -ūna productione vocalis *u* ex -un exstitisse, contendere non licet. Etenim cum pronomen tertiae personae, ut supra demonstravi, terminationes suas plurales ex se ipsum genuerit easque verbum sibi assumpserit, illud -ūna, quod nominale idem et verbale est, ex pronomine hum-ūna necesse est ortum esse. Quod cum me audacius forsitan dixisse putaverit quispiam et quae antea (p. 28) de formatione numeri pluralis pronominis tertiae personae exposui nihil curans, hoc pronomen potius quam nomen terminationem illam aliunde petiisse, contenderit, pauca ad hanc rem illustrandam addam et quidem eo modo, ut partim dispiciam, utrum faciliorem habeat explanationem terminatio -ūna, si origo ejus ad nomen, an si ad pronomen referatur, partim quaedam refellere coner, quae praeterea contra sententiam meam dici possint. Finge igitur, pronomen exitum -ūna a nomine accepisse. Inde videlicet efficitur, ex singulari

numero pronominis singularem numerum nominis, ex nominis autem plurali numero pluralem numerum pronominis formatum esse, id est, terminationem vocis hum-ûna ita exstitisse, ut primo illud hum (hun), nominibus, velut *abd*, appositum, formam *abdun* sim. procrearit, deinde *abdun*, vocali *u* producta (atque *a* finali assumpto?), in *abdûna* mutatum, terminationem suam -ûna illi hum tribuerit. Longae sane sunt hujus originationis ambages. Quanto vero facilius illa, qua humûna a reduplicata forma singulari sibi respondente, i. e. ab hum + hûna ducta esse statuitur. In qua originatione cum fieri possit, ut aliquem offendat, quod duas formas singulares inter se nonnihil differentes conjunctas esse posui, commemorandum puto, me hac ratione usum, qua specie indutae voces illae singulares se junxerint, decernere noluisse¹, sed earum tantum formarum rationem habuisse, e quibus inter se connexis humûna illud facillime nasci potuerit. Rursus si consideraverimus, ecquid difficultatis habeat altera sententia, quae censet, nomen exitum -ûna a pronomine accepisse, reperiemus, tantum abesse, ut ea nobis scrupulum aliquem injiciat, ut contra formationem numeri pluralis verborum nominumque multis modis apertius nobis ante oculos ponat. Ostendit enim, ut alia omittam, terminationem -ûna verbo et nomini, etiamsi hoc illo vetustius non sit², tamen communem esse posse, atque prorsus nobis summo vet quaestionem illam perdifficilem de origine *a* finalis exitus nominalis -ûna, ab -uⁿ deducti. Si quis vero, omnibus his argumentis spretis, opinetur, proximam terminatio-

1) Nil sane obstat, quominus humûna ex hûma + hûma compositum judicetur.

2) Cfr. Philippi, l. c. p. 138; I, pp. 17, 18.

nis -ûna originem non aliunde nisi ab -uⁿ repetendam esse, quia haec tam arte inter se cohaereant, ut ea originatione maxime probabilis videatur, is consideret velim, revera non majorem inter duas illas terminationes discrepantiam intercedere, si a pronomine tertiae personae utraque, quam si -ûna ab -uⁿ deducatur, cum pronomen hûm, hum (i. q. terminat. -uⁿ) et exitus -ûna formae pluralis humûna una eademque vox principio fuerint. Quod si quis neget, hoc bene convenire, cum -uⁿ et -ûna significant, illud numerum singularem, hoc pluralem, eum sane fugiat, -ûna non propter primam vim suam, sed ob locum, quem in pronomine obtinet, affixum plurale factum esse. Ceterum monendum est, hanc meam de origine illius exitus pluralis sententiam¹, si ad naturam linguarum communem spectes, non minus probabilem esse quam eorum, qui vocalem singularis numeri productam esse arbitrantur; nam, quantum equidem scio, in nulla alia lingua haec nota pluralis numeri initio fuisse reperitur. Quibus omnibus consideratis, non dubito, quin exitus -ûna, sive nominalis sive verbalis est, a masculino plurali pronominis tertiae personae originem duxisse. — Hactenus communis fuit pronominibus, verbis nominibusque formatio numeri pluralis, deinceps in duas partes discedere necesse fuit, quia tertiae personae pronomini et verbo genera solum erant distinguenda, nomini autem etiam casus. Sed quo modo nomen pluralem numerum feminini generis formaverit, nunc non describam, quia affixa nominalia, genus femininum exprimentia, excepta Aramaeorum terminatione plurali², ex pronomine personali ter-

1) Cfr. Hupfeld, l. c. p. 474.

2) Hunc exitum, qui -ân sonat, eundem esse opinor atque verborum -ân, qui in plurali numero feminini generis invenitur.

tiae personae orta non sunt. De solis igitur affixis nominalibus pluralis numeri masculini generis hic quaeram. — Numerum pluralem nominum semiticorum multitudine ac subtilitate terminationum singularem primitus adaequasse, quamquam argumentis sufficientibus vix potest doceri, tamen valde probabile est. Cujus rei indicia hae terminationes plurales sunt: Arabum -ûna et -îna, quarum illa nominativum, haec genitivum et accusativum designat; Hebraeorum -îm, quae universo plurali numero additur, primo, ut videtur, uni casui obliquo propria fuit, atque -âm, quae in nonnullis vocibus loco illius -îm usurpatur; Aramaeorum -în, quam eodem modo quo hebr. -îm comparatam esse verisimile est; Assyrorum -ân et -î¹ vel -ê² omnibus casibus communes; Athiopum -ân, quod generale masculini pluralis signum est. Accedit, quod in lingua aramaica vestigia exitus pluralis -û(n) (cfr. syr. rîsauhj, ch. rêšôhî sim., quae gunatione ex rîsûhî, rêšûhî orta sunt, sicut rîsai, rêšê ex rîsî, rêšî), in aethiopica terminationis -în³ reperiuntur. Quae affixa quamquam non evincunt, numerum pluralem nominis semitici tres diversos casus habuisse, tamen, ratione casuum numeri singularis in comparationem vocata, id saltem, ut mihi quidem videntur, demonstrant, in numero plurali tres diversas formas fuisse, quarum prima in -ûna exiens nominativum indicarit, secunda et tertia in -îna et -âna cadentes casus obliquos denotaverint. Atque cum in unam ex his terminationibus -ûna jam inquisiverimus eamque omnibus orationis partibus, quae habent numerum pluralem, communem esse cognoverimus, vetustissimam quoque omnium eam esse, jure

1) Schrader, l. c. p. 220.

2) Oppert, l. c. p. 15 sq.

3) Vid. Dillmann, l. c. p. 278; Praetorius (ZDMG. XXVII, p. 643).



concludere videmur; nam si tempus ullum fuit, quo nomen a verbo non differret, quod fuisse concedendum est, certe eam solam omnium terminationum pluralium illo tempore exstitisse, apparet. Hinc vero elucet, eam ipsi linguae quasi exemplar in ceteris terminationibus fingendis esse potuisse. Quod qua ratione in pronomibus et verbis factum sit, jam vidimus. Namque in pronomibus forma singularis, quae ad masculinum plurale efficiendum hûna sibi conjunxerat, formas cum hoc alternantes hâna aut hîna, quae, cum illi hûna opponerentur, vim feminini accipiebant, ad hoc genus procreandum sibi assumpsit, verba vero, quibus item genera exprimenda erant, terminationes pronominum paulatim adsciverunt. Alia ratio fuit pluralis numeri nominum, cujus terminationibus casus essent designandi. Videamus, quo modo casus illos formatos esse cogitare possimus, exempli causa unum aliquod nomen, velut *‘abdun*, ad id explanandum adhibentes. Hoc igitur vocabulum eo tempore, de quo hic quaeritur, tres habebat formas singulares has: *‘abdun*, *‘abdin*, *‘abdan*, unam tantum pluralem, *‘abdûna*. Cum vero haec forma sola ad rationes, quae inter hoc nomen plurale et alias voces in oratione intercedere possent, exprimendas non sufficeret, neque nomen alias posset a pronomine petere terminationes, huic inopiae analogia adhibendâ commodissime subveniri potuit. Crediderim igitur, linguam semiticam formas illi *‘abdûna* similes procreasse, quae, ut *‘abdûna* ad *‘abdun*, ita ad *‘abdin* et *‘abdan* se haberent, formas dico *‘abdîna* et *‘abdâna*. Itaque mea sententia, quam facile concedo certam non esse, productio vocalis non est vera nota pluralis, sed analogia effecta.

Restat, ut de formatione numeri dualis, utpote quem cum plurali cohaerere omnes fere consentiant, nonnulla di-



cam. Sed fateor, in origine hujus numeri investiganda quaestiones existere tam difficiles, quas me solvere posse diffidam. Cujus generis hae sunt: Produxerintne etiam Arabes gunatione vocalem in duali numero effingendo? et si hoc eos fecisse statuitur, utrum *â* an *î* in *ai* creverit? Finale *i* terminationum arabicarum -âni et -aini utrum adventicium sit an naturae numeri dualis proprium? In aliisne etiam dialectis praeter arabicam terminatio dualis -âni fuerit? Arabicine verbi proprius sit numerus dualis? Has quaestiones cum neque ab aliis solutas invenerim nec ipse solvere possim, rem in medio relinquens, ad pronomen primae personae enucleandum transeo.

III.

Formae pronominis primae personae in dialectis semiticis inveniuntur hae: in lingua arabica singularis ʿanâ, pluralis nahînu; in aeth. sing. ʿana, plur. nehna; in hebr. sing. ʿānōkî, ʿānî, ʿānî, plur. ʿanahînu, nahînu, ʿanû; in chald. sing. ʿanâ, ʿanâh, plur. ʿanahînâ, ʿanahînâh, nahînâ (rabb.), ʿanân (rabb.); in syr. sing. ʿenâ, plur. lihnan, ʿanahînan; — in amhar. sing. ʿenê, plur. ʿegnâ¹; in tigrins. sing. ána, plur. nehna²; in tigrinens. sing. ʿanê, ʿana, plur. nehîná³; in mehriens. sing. ho, plur. nehîá⁴; in arab. vulg. sing. ána, áne, plur. nehîné, nahîn', éhîna⁵; in pun. sing. אנהך (אנכי), plur. אנחנו⁶; in samar. sing. ʿnh, ʿnkj, plur. ʿnn, ʿnlînn⁷; in assyr. sing. אנכי⁸, anaku⁹, plur. אנחנו⁸, a...ni⁹; in mand. sing. אנה, plur. אנכי, אנכי (anên)¹⁰; in neosyr. sing. ʿānâ, plur. ʿalînan, ʿalînî¹¹.

1) Isenberg, l. c. p. 43.

2) Beurmann, l. c. p. 79.

3) Praetorius, Gramm. d. Tigrina Spr. p. 154.

4) v. Maltzan (ZDMG. XXV, p. 200).

5) ihênâ, nahên, hiñâ, hañâ — Wetzstein, Sprachliches aus den Zeltlagern etc. (ZDMG. XXII, p. 137).

6) Schröder, l. c. pp. 143, 144.

7) Uhlemann, Inst. ling. Sam. p. 27 sq.

8) Oppert, l. c. p. 29.

9) Schrader, l. c. pp. 244, 245.

10) Nöldeke (privatim expos.)

11) Nöldeke, Neosyr. Gr. pp. 73, 74.

Praeterea afferam hieroglyphica illis respondentia pronomina, quae sunt: sing. annuk, ennuk, plur. anon¹; cop-tica: sing. anok, anak, plur. anon². Eandem hic viam atque in pronomibus tertiae personae tractandis sequens, ex formis allatis in eas tantum diligentius inquiram, quae in linguis semiticis principibus inveniuntur, quam quaestionem ita instituum, ut primo eis formis, in quibus vestigia antiquitatis apertissima appareant, considerandis principium atque originem hujus pronominis indagare, deinde quam rationem habeat principium illud ad formas, de quibus expositum nondum erit, investigare coner.

Formas singulares ejus pronominis perlustrantes, eas ab an quodam, interdum in en mutato, incipere videmus. Vulgo hoc praefixum pro vocula demonstrativa habetur, nativae formae pronominis hujus personae praeposita. Nec sane est, quod de hac re dubitemus. Origo autem hujus vocis aptissime a pronomine illo supra enucleato, quod accusativi terminationem -an generavit, repetitur. Cui originationi num lingua aegyptiaca, ut legibus suis propriis parens, repugnet, dijudicare me non posse, fateor, nec tamen eae saltem formae aegyptiicae, quae cum an illo etymologice aliquo modo cohaerere videntur, ullam nobis causam afferunt³ de sententia nostra decedendi. Sed haec hactenus. Nunc ad propria elementa hujus pronominis eruenda aggrediamur.

Ex his imprimis eminet k quoddam, quod in numero singulari hujus pronominis linguae hebraica, punica, assy-

1) Brugsch, l. c. p. 12.

2) Schwartze, l. c. p. 340.

3) Cfr. de voce relativa en Brugsch l. c. p. 16 sq.; de conj. em ut, quod (arab. an) l. c. p. 94, de conj. hān sich dass l. c. p. 93.

rica, aegyptiaca, interdum samaritica habent. Et cum formae ejusdem originis, quo longiores, eo vetustiores sint, antiquiores saltem dialectos semiticas, quae *k* sono carent, eum antea habuisse, verisimile ducimus. Quam suspicionem signum quoddam apertum, quod in numero plurali hujus pronominis est, confirmat. Nam in omnibus fere dialectis semiticis (arab., hebr., aeth., chald., syr., tigrin. cet.) forma pluralis hujus pronominis sonum *li*, *li*, *h* continet, qui principio nota pluralis esse non potuit, sed ex numero singulari et ex ipso *k* sine dubio natus est. Unde effici putaverim, in toto Semitismo hoc pronomem *k* sono quondam fuisse praeditum¹.

Videamus nunc, qui soni illud *k* antecesserint quique secuti sint. Quam ad rem assequendam, praefixo *ʔan* excepto, ceteros sonos hujus pronominis, qui in dialectis quibusdam exstant, inter se comparabimus. Habent igitur linguae aethiopica *-a*, hebraica *-ōkî*, assyrica *-aku*. Hinc elucet, *â* vocalem in dialectis hebraica et assyrica *k* sono antecessisse, siquidem hebraicum *ô*, *ō* ex *â* saepissime ortum est atque etiam assyricum *a* eidem origini convenit eoque magis, si cum chald. (*ʔan*)*â*, syr. (*ʔen*)*â*, arab. (*ʔan*)*â*, conferatur. Itaque *-ōkî* et *-aku* ex *-âkî* et *-âku* exstitisse, colligi potest. Sed quoniam Aethiopum affixum verbale primae personae singularis numeri *kû* sonat ipsumque pronomem ei respondens, ut jam diximus, *k* habuit, facere non possumus, quin statuamus primum, aethiopicum illud *-a*, quod supra attuli, idem esse atque *â* in *-âkî* et *-âku* ideoque longum primitus fuisse, deinde omnes hujus linguae sonos conjunctos, qui hebraico *-âkî* responderint, *-âkû* sonuisse. Qua re sic

¹) Cfr. Ewald, *Ausf. Lehrb.* p. 275; Lagus, *Ar. Gr.* p. 128; Dillmann, *Aeth. Gr.* p. 268; Vogel, *l. c.* p. 21 al.

constituta, in dubium vocari non potest, quin etiam assyricum -âku secundum Oppertii rationem scribendi (ʿanâkû) ad -âkû referendum sit. Itaque e linguis aethiopica, hebraica, assyrica duas quasi origines pronominis primae personae eruimus, quae sunt âkî et âkû. Hae autem, quoniam voces verae, quibus ʿan praefixum sit, putari debent, si cum aliis vocibus conjunctae non sunt, recte ʿâkî et ʿâkû scribuntur.

Jam ut, quae inter ʿâkî et ʿâkû intercedat ratio, appareat, primo formas hebraicas ʿânî, ʿānî (pausalis) et hujus pronominis suffixa verbalia considerabimus. Atque illud ʿânî (ʿānî) jam indicat hoc pronomen singulari quadam ratione imminutum, id est, totum -âk- depositum esse. Nam pro ʿanâkî ʿanî i. e. ʿānî vel ʿânî positum est. Eadem vero imminutio etiam in Hebraeorum suffixo verbali -nî facta est, quippe quod *n* sonum, -âk- amisso, cum *î* finali conjunctum esse ostendat. Cum vero hoc suffixum non soli hebraicae linguae sit proprium, sed etiam in dialectis arab., aeth., chald., samar. (-nj), syr. (-nj), assyr. ¹, pun. (-n = -nî) ², tigrin. ³ inveniatur, manifestum est, imminutionem, quam commemoravi, universi Semitismi fuisse ipsumque pronomen in omnibus dialectis in *î* longum exisse. Sequitur igitur, hebraicum ʿâkî generalis esse naturae semiticae. Sed ʿâkû, quatenus id adhuc cognovimus, altera forma ejusdem pronominis, dialectorum aethiopicae et assyricae propria, habenda est.

Neque vero harum formarum inter se rationem penitus perspicere poterimus, nisi veram initialis soni ʿ naturam indagavimus. Ac videmur nobis ex permutationibus

1) Oppert, l. c. p. 71; Schrader, l. c. p. 250.

2) Schröder, l. c. p. 144.

3) Praetorius, l. c. p. 146.

consonantium, supra (I, pp. 22—30) explanatis, satis probabiliter posse colligere, hunc sonum nativum non esse. Neque tamen inter formas hujus pronominis ulla est, quae *h* consonantem pro illo *ʔ* substitui sinat. Equidem non negaverim, formam ho dialecti mehriensis tali opinioni favere videri; cum vero ejus dialecti pronomina personalia cum linguarum principalium magnam omnino dissimilitudinem habeant, argumenta ex illis deprompta horum ad naturam comprobendam non sufficiunt. Ac nihil sane in hac re valet affixum amharicum -hû¹, primam personam significans, utpote quod ab affixo aethiopico -kû² originem trahere in aperto sit. Certiora igitur indicia primae illius spiritus naturae circumspiciamus oportet. Neque dubito, quin habeamus ejusmodi indicium consonam quandam, nondum a nobis commemoratam, in qua sine controversia inest vis primae personae. Est haec consona affixum illud *t*, quod prima persona numeri singularis perfecti linguarum arabicae, hebraicae, aramaicae habet quodque in dialecto arabica *u* vocalis, in hebraica *ʔ* sequitur, in syriaca autem *e*, in chaldaica *ē* praecedit; quamquam hae duae vocales locum sonumque hebraici *ʔ* antea sine dubio habuerunt³. Atque illa consona grammaticis non mediocrem attulit molestiam, quam tamen potius vitavisse, quam sustulisse mihi videntur. Velut Ewaldus⁴ hoc *t* pro *k* positum esse contendit, "theils", ut ait, "weil *t* hier wirklich mit *k* wechseln konnte, nochmehr aber wohl wegen des ähnlichen *t*

¹) Isenberg, l. c. p. 63 sq. Cfr. Müller, Über die Harari-Sprache (Sitzungsberichte der Ak. der Wissensch. zu Wien. 44:er Bd. p. 606).

²) Cfr. aeth. sekû *ille* et ei respondens amhar. jêhe, gen. ja-šîhe (Isenberg, l. c. p. 45).

³) Cfr. de forma qetaltêh supra p. 45.

⁴) Ausf. Lehrb. p. 503.

bei der 2:ten person"; Dillmannus¹ eandem fere sententiam prompsit; Merxius, *k* sonum in *t* mutatum non concedens, in ejusmodi formis, quales sunt arab. qataltu, aeth. nagarkû, duo germina pronominalia, tu et ku, se observasse vult, quibus id commune sit, quod persona loquens utrumque ad se ipsam designandam adhibuerit, al. Neque vero ulla harum sententiarum mihi probabilis videtur. Nam primum quod viri docti *t* et *k* vulgo in linguis semiticis inter se mutari putant, sine satis idonea causa eos id facere crediderim, quia totus Semitismus tria tantum vel quatuor exempla hujus mutationis praebet²; deinde mihi numquam persuadebitur, *k* sonum primae personae eam ob causam in *t* verti potuisse, ut formae hujus et secundae personarum sono inter se similiores essent; postremo Merxius, germina illa tu et ku fuisse ponens, ad originem pronominis primae personae demonstrandam parum conferre mihi videtur. Equidem puto, hac re diligenter considerata, fatendum nobis esse, quia qatal-tu, qātal-tî idem quod "*ich habe getödtet*" valet, *t* sonum partem reliquam esse vocis, quae per se *ich, ego* significarit, ideoque in numero singulari pronominis primae personae, quamvis litera nulla expressum, tamen occulte latere. An credibile id non putas? leges, quibus linguae semiticae parent, non permittunt, ut statuamus, *t* sonum vocibus ʔâkî et ʔâkû quondam inhaesisse? Immo illius spiritus a nativo *t* derivatio legibus sonorum semiticorum plane convenit. Nam si permutationes consonarum antea (I, pp. 22—30) a me expositas perpendaris, non poteris non probare, in natura sonorum nihil esse, quod nos sumere impediât, ejusmodi mutationem fa-

1) Aeth. Gr. p. 162.

2) Vid. I, pp. 30, 31.

ctam esse. Id si ita est, cum affixa allata *t* sonum pronomini nostro peculiarem esse arguant, originem formarum ʔākī et ʔākū a tākī et tākū repetendam esse, putaverim. Sed dixerit fortasse quispiam, cum in affixis illis $-\text{tī}$ et $-\text{tu}$ soni *ʔ* et *u* ipsum *t* subsequantur, in tākī vero et tākū *t* consonae *ā* vocalis subjecta sit, fieri non posse, ut tī et tu a tākī et tākū deducta sint. Verum enimvero, totam sonorum conjunctionem $-\text{āk-}$ cum satis jam comprobatum sit in hoc pronomine elidi posse, etiam $-\text{tī}$ et $-\text{tu}(\text{tū})$ e tākī et tākū facile existere potuisse, elucet. Accedit, quod huic nostrae de origine pronominis primae personae sententiae suffixum quoddam memorabile hujus personae suffragatur, illud $-\text{ti}$ dico, quod est in his verbis Qurʾāni: $\text{jā ʔaba-ti o, mi pater! jā ʔumā-ti o, mea mater!}$ ¹ Nescio an ea quoque Hebraeorum loquendi ratio, qua interdum ʕīmā-dī pro usitato ʕīm-ī *mecum*² ponitur, ad hanc rem declarandam pertineat. Sed probatō, affixum arabicum tu contractum tākū esse, sequitur, hanc formam, i. e. ʔākū restitutam, latius intra linguas semiticas patere, quam supra (p. 73) diximus, siquidem non solum Aethiopicum et Assyrorum, sed Arabum quoque dialectus eam habet. Quae perpendentes, cum arabicam linguam maxime omnium semiticarum antiquissimas vocalium proprietates servasse constet, jure suspicamur, formas tākī et tākū in universo Semitismo vetustiore simul in usu fuisse, tākī vero sensim praevaluisse.

Ex his duabus formis tākī , si ad sonum ejus finalem spectamus, in statum etiam antiquiorem restitui posse, *ʔ* vocalis ostendit, quae, vi suffixi nominalis praedita, in lingua arabica haud ita raro $-\text{ija}$ aut $-\text{ja}$, in aethiopica et

1) Lagus, Ar. Gr. p. 131; Ewald, l. c. p. 275 ann.

2) Gen. 21, 23; 31, 5.

assyrica -ja sonet. Sed quoniam probabile est, harum vocum *ā* et *û* quoque originem ducere a conjunctis sonis illi -ja similibus, nec tamen id pro certo scimus, consentaneum videtur, nos, ne incertas voces pro certis probemus, tâkî et tâkû pro formis principalibus hujus pronominis habere.

Quid proprie sint hae voces, apparebit, si eas cum aliis pronominibus contulerimus. Namque eas proxime accedere videmus ad similitudinem vulgarium demonstrativorum, ut arab. dâka, tâka, aeth. f^okû, aram. dêk, dâk. Non est igitur dubium, quin tâkû et tâkî natura mere demonstrativa sint sensimque personam loquentem significare coeperint. Quomodo harum formarum partes singulae tâ, kû, kî ortae esse putari possint, antea (I, pp. 48—49, 61—63) explicare conatus sum.

Nunc aggrediar ad eas primae personae formas enodandas, de quibus in hac disputatione nondum quaesivi. In qua quaestione primum formas singulares, deinde plurales tractabo. Sed antequam de his dicere incipiam, nonnulla mihi monenda sunt, quae, cujusmodi fuerint illae formae principales, cum praefixum *ʾ*an assumerent, demonstrarent. Neque enim primum in eis locum *t* tum tenuit, quia nil causae fuisset, cur ille sonus, *n* consonae subjectus, magis in hoc pronomine elideretur quam in pronomine secundae personae. Illo igitur tempore, de quo agitur, eum jam in spiritum lenem mutatum esse, colligendum est. Quocirca principium totius hebraici *ʾ*ānōkî fuisse *ʾ*anâkî, solius *ōkî* vero tâkî cogitari debet. Atque hinc quidem, quae sit etymologia hujus pronominis formarum separatarum singularis numeri in dialectis principalibus, etiamsi de ea re pluribus non exposuero, facile intelligetur (*ʾ*anâkî, *ʾ*anâk, *ʾ*anâ arab., *ʾ*ana aeth., *ʾ*anâ chald., *ʾ*enâ syr.).

E suffixis, quae his formis respondent, id, quod verbis apponitur, jam explanatum est. Nam ex ʾanâkî contractione ʾanî, ex ʾanî elisione nî factum est. Atque etiam totum anî verbis nonnumquam suffixum esse, infra videbimus. Exstitisse autem hoc suffixum post ʾan illud formae ʾâkî praefixum, ex se intelligitur. Antiquius hoc videtur suffixum hujus personae nominale -î, utpote quod -ija, -ja in nonnullis linguis efferatur. Neque tamen, ut jam dixi, quae fuerit forma pronominis, in suffixum nominale conversi, dijudicari potest, quia hoc suffixum unica tantum particula est pronominis.

Deinde mihi, de formis numeri singularis pronominis, de quo agitur, quaerenti, affixum singulare primae personae perfecti considerandum est. Hoc affixum in lingua arabica -tu scribitur, quod e tâkû, elisis *â* et *k* sonis, ortum esse, jam demonstravi. In dialecto aethiopicâ est tantum posterior pars formae tâkû, id est kû, quod horum temporum dialecti aethiopicae tigrensis¹ et tigrinensis² retinuerunt, amharica vero in -hû mutavit³. Lingua assyrica ut toto perfecto, ita hoc affixo caret; hebraica -tî habet, quod e tâkî contractum est. Idem affixum in lingua punica antiqua ת consona, in neo-punica, quae vocatur, ת litteris notatur⁴. Deinde, ut formas aramaicas -ēt (chald.), -et (sy.) transpositione exstitisse statuamus, ratio ceterarum linguarum nos cogit, quamquam in dubium vocari posse videtur, utrum -tî an -tû transposito hoc affixum ortum sit. Sed cum consideramus primum, magnam omnino similitudinem terminationibus aramaicis cum hebraicis esse,

1) Beurmann, l. c. p. 79.

2) Praetorius, l. c. p. 271.

3) Isenberg, l. c. p. 63.

4) Schröder, l. c. p. 204.

deinde suffixa aramaica -ēh, -eh ex -hî emanasse (cfr. suff. -ēk, propr. -kî), postremo sonos aramaicos ē, e raro ex u natos esse, sane causam habemus, cur Aramaeorum affixum primae personae sing. ductum putemus a -tî per -ît, -it, quod Chaldaei in -ēt, Syri in -et converterint¹. Denique dialecti samaritica et mandaica huic affixo tribuerunt illa formam -t vel -tj², haec ת³.

Priusquam ad formas pluralis numeri transgredimur, pauca de praefixo primae personae sing. imperfecti dicenda sunt. Est hoc in toto Semitismo ꝑ spiritus, quem in lingua arabica et assyrica⁴ a vocalis sequitur, in ceteris e ab a deducta. Hoc ꝑa- vel ꝑe- partem esse pronominis primae pers. sing. reliquam, supra (p. 14) diximus. Quaeritur cui sono illius pronominis hoc ꝑa- respondeat, siquidem ꝑanâkî, quod idem valet atque ꝑan + âkî, duo a sonos continet, e quorum altero illum, de quo agitur, derivatum esse statuendum sit. Hanc quaestionem facillime nos sulturos esse crediderim, si rationem, quae inter cetera praefixa singularia et pronomina eis respondentia intercedat, paulo accuratius observarimus. Ita enim invenimus primum, ut jam supra exposui, pronomem tertiae personae (hjam, hjan) pro praefixo esse habitum, priusquam generum discrimen effinxerit, ideoque praefixa antiquissimo jam tempore imperfecto praeponi coepta esse, deinde pronominum tertiae et secundae personarum sonos ipsos principales (hjan, ꝑanta) in praefixis inesse. Quocirca non videtur fieri potuisse, ut is ꝑa- sonus pronominis primae per-

¹) Ita etiam Gesen.-Rödiger l. c. p. 92; aliter Merxius (l. c. p. 203), qui e vocalem ab u ductam putat.

²) Uhlemann, Inst. p. 81.

³) Nöldeke, Über die Mundart der Mand. p. 110; Merx, l. c. p. 269.

⁴) Schrader, l. c. p. 265; Oppert, l. c. p. 42.

sonae, qui in vocula ʔan , formae principali praeposita, habitat, verborum imperfecto praefigeretur, quoniam ille neque huic pronomini reapse peculiaris est neque t sono secundae personae respondet. Quae cum ita sint, equidem puto, pronomina et primae et secundae personarum prius esse verbis praefixa, quam ʔan illud sibi adsciverint, sonosque ʔa- et ta , quos praefixa earundem personarum nunc continent, nihil aliud esse quam pronominum antiquiorum primae et secundae personae (ʔâkî et $\text{tâ} - -^1$) syllabas initiales (ʔâ- , ʔa- et tâ- , ta-).

Inspiciamus nunc pronominis primae personae numerum pluralem, et primum quidem hujus numeri formas separatas, deinde suffixa, affixa, praefixa. Ac formas separatas ita procreatas esse, supra dixi, ut duae singulares conflatae sint sive una geminata. Qua sententia probabiliorem vix posse de hac re proferri, duxerim, cum in hoc pronomine vestigia formae pluralis usitato modo effectae nulla, geminatione autem singularis numeri factae haud pauca inveniuntur. Quod genus sunt n et a (\acute{a}) soni bis terve in numero plurali positi. Accedit, quod vocales hujus numeri finales \acute{a} (a), \acute{u} (u), i , quae per se consideratae quasi ex libidine usurpatae videntur, illa formandi ratione probata, facilem habent explicatum. Quod si cui videamur hoc statuendo sumere, formas hujus personae vehementius, quam credibile sit, mutatas esse, is non cogitet, quot quantasque mutationes habuerint eae quoque hujus pronominis formae plurales, quae in linguis semiticis etiamnunc supersunt. Nam, ut alias mutationes non afferam, hebraicum ʔanalinû , in ʔanû mutatum, totam nañ syllabam amisit, chaldaicum ʔanalinâ , in ʔanân conversum, $hî$ et a sonos. Videamus igitur, quomodo in quaque dialecto e duabus for-

¹⁾ De hac forma vid. infra.

mis singularibus plurales ortae sint. Jam in his formis fingendis eam fuisse apparet illarum dialectorum differentiam, ut aethiopica et chaldaica formarum singularium sonum finalem utrumque abjecerint, arabica et hebraica alterum tantum. Priores igitur formas suas *nehna* (aeth.)¹, *ʿanalinâ* vel *nalînâ* (chald.) geminando *ʿanâk*, i. e. per *ʿanâk(a)nâk*, *ʿanaknâ*, *ʿanalinâ* videntur procreasse. Arabes vero et Hebraeos pronomina illis respondentia per hanc formarum seriem effinxisse, censeo: *ʿanâk-(ʿa)nâkû*, *ʿanak-n(âk)û*, *ʿanaknû*, *ʿanalinû*, arab. *nalînu*, hebr. *ʿanalinû*, *nalînû* vel *ʿanû*². Quamquam Arabes quoque formam quandam pluralem chaldaicae *ʿanalinâ*, aethiopiae *nehna* similem habuisse, suffixum eorum affixumque primae pers. plur., quorum utrumque *-nâ* sonat, comprobant. In Syrorum denique formis pluralibus *li^enan* et *ʿanalinan* mirabile est *n* finale, cum sonum, qui ei respondeat, alii Semitae non habeant. Merxius tamen nescio an sententiam probabilem de hac consona aperuerit, eam posterius additam dicens³. Quamquam enim ejusmodi soni finales se nativos non raro praebent, nil tamen obstat, quominus hoc *n*, ut linguae syriacae peculiare, fortuitum sit additamentum. Nam ex hac lingua alia quoque exempla proferri possunt, quae tali opinioni fidem faciant. Velut arabico *mâ*, hebraico *mâh* syriacum *mân* respondet, et tamen *n* sonum, quem hoc habet, illa amisisse vix quisquam judicabit. Hoc exemplo similibusque consideratis, non dubito, quin forma syr. *ʿanalinan*, quae decurtata in *li^enan* transiit, etymologia a chaldaico *ʿanalinâ* non discrepet.

1) Tigrinens. *nehnâ*.

2) Cfr. Dillmann, l. c. p. p. 268.

3) Gr. syr. p. 166.

Suffixa, his formis pluralibus respondentia, sive nominibus sive verbis adjunguntur, eadem sunt. Neque conformatio eorum magnam habet difficultatem, quia pleraque similiter procreata sunt, et eo quidem modo, ut speciem syllabarum finalium ipsorum pronominum sibi induerint. Sic Aethiopes suffixum -na a forma plurali neĥna duxerunt (gens tigrinensis -nâ a neĥnâ), Arabes -nâ a forma, quam nahnâ sonuisse verisimile est (vid. supra), Hebraei -nû a nalînû. Huic -nû eadem atque -hû jam descripto praecedunt vocales connexivae, i. e. *ā* et *ē* (-ānû, -ēnû), de quarum natura supra dictum est. Accuratius tamen Aramaeorum suffixa pluralia primae personae consideranda sunt, quia eorum formatio propria quaedam habet observatu digna. — Solent haec suffixa in lingua syriaca per -an et -n, in chaldaica per -ānâ et -nâ consignari. E quibus syriaca, si sola considerantur, pro sonis finalibus formae ĥ^enan facile haberi possunt. Suffixis tamen chaldaicis ad comparisonem vocatis, aliam haec res accipit speciem. Nam ubi Syri -n habent, ibi Chaldaeos -nâ, ubi autem illi -an, ibi hos -ānâ usurpare videntes, cum intimam necessitudinem, qua linguae harum gentium inter se junctae sunt, consideramus, facere non possumus, quin syriaca -n e -nâ, -an ex -anâ vel -ānâ decurtando facta esse ideoque sonis finalibus formae ĥ^enan non respondere statuamus. Ne multa, hoc suffixum, antequam forma pluralis *n* illud accepisset, formatum esse, judicandum est. Qua re sic constituta cum appareat, sonos initiales formarum -an et -ānâ inter se respondentium¹ unum eundemque sonum esse, hoc loco in eos simul inquirere possumus. Quaeritur igitur, utrum hoc *a* vel *ā* sit pars vo-

1) Est etiam aliud -ānâ, quod syriaco -an non respondet. Vid. infra.



cabuli, cui suffixum adjungitur, an suffixi? Equidem pro suffixi parte habendum esse, contenderim. Cui rei argumento esse puto non solum quod -an et -ānâ etiam suffixa nominalia sunt, licet *a* (*ā*) vocalis alioquin in nominibus aramaicis non eundem habeat usum, quem *ā* et *ē* in hebr. *sûsā-hû*, *sûsē-nû* al., sed rationem quoque, qua formae verbi hoc suffixum sibi conjungunt. Quam rationem ut demonstrarem, inspiciamus formas verbi syriaci et chaldaici, suffixo primae pers. plur. num. praeditas, has: femininum tertiae personae et masculinum secundae pers. numeri sing. perfecti conjugationis *Peal*, quorum illud in syriaca dialecto est *q^etaltan*, in chaldaica *q^etaltānâ*, hoc in syriaca *q^etaltān*, in chaldaica, item ut fem. tertiae pers., *q^etaltānâ*. Ex his *q^etaltān* et *q^etaltānâ* ei respondens facile suffixum a se secerni patiuntur, quoniam ipsam vocabuli formam, ut aliae linguae ostendunt (arab. *qatalta*, hebr. *qātaltā*), in *a* vel potius, syllaba in vocalem cadente, in *ā* exisse necesse est. Itaque in elementa sua divisae formae *q^etaltān* et *q^etaltānâ* habent species *q^etaltā-n* et *q^etaltā-nâ*. Eodem fere modo syr. *q^etaltan* (fem. 3 pers. sing.) et chald. *q^etaltānâ*, quod illi respondet, dividi posse videntur. Quamquam enim in omnibus dialectis femininum tertiae pers. sing. perfecti consona terminatur aut certe terminatum est (arab. *qatalat*, hebr. *qāte^lāh*, suffixo assumpto, *q^etālat-*), tamen suspicetur forsitan quispiam, aramaicum *q^etalat*, sono at transposito, conversum esse in *q^etaltā*, quod, hoc suffixo adjecto, in lingua chaldaica formam *q^etaltā-nâ*, in syr. propter clausam syllabam finalem *q^etalta-n* acceperit. Sed etiamsi nobis negligere liceat, linguam syriacam, si soni ita, ut dixi, transpositi sint, non minus in feminino tertiae personae quam in masculino secundae formam *q^etaltān* ha-

bere debere, tamen alia res impedit, quominus eam transpositionem factam esse statuamus. Namque femininum tertiae pers. syr. conjugationis Pa^{el}, quod solum per se qatlat, suffixo apposito, qatlat-an scribitur, rem se aliter habere ostendit. Itaque q^etaltan, q^etaltānâ non in partes q^etalta-n, q^etaltā-nâ, sed in q^etalt-an, q^etalt-ānâ i. e. q^etalat-an, q^etalat-ānâ dividenda sunt. Ergo in his formis -an, -ānâ vera suffixa sunt. Neque tamen solum masculinum secundae personae sing. perfecti syriaci, sed omnes hujus linguae formas verbales, quas, cum suffixa assumerent, in *a* vocalem exisse pro certo scimus, hoc suffixo addito, syllaba -ān terminatas invenimus (cfr. qatlûnâ-n, qatlênâ-n, q^etaltûnâ-n, q^etaltênâ-n, q^etûlênâ-n, neqtlûnâ-n al.). Nonne igitur causa est, cur omnes formas hoc suffixo praeditas, quae instar feminini tertiae pers. sing. perfecti, non in -ān, sed in -an cadunt, cum suffixum sibi adsciscerent, in consonam exisse putemus? Est sane, si quid judico. Qua re adductus, equidem Aramaeos sonis illis conjunctis -an et -ānâ post consonas veris suffixis usos esse, putaverim. Atque has formas eodem fere modo ortas esse duco quo hebr. פִּנְאִי. — Ex his autem, quae nunc exposita sunt, argumenta duci possunt, quae confirment, suffixum etiam singulare primae personae in lingua certe syriaca ab *a* sono tum incepisse, cum ipsum vocabulum in consona desineret; nam ex suffixis -anj et -ānj, numero singulari propriis, illud plurali formae -an, hoc -ān ubique respondet.

Cum his suffixis pluralibus affixa paene omnino congruunt. Sunt enim haec in linguis aethiopica -na (nagar-na — in tigrinensi -nâ¹, e. g. gabar-nâ), arabica

¹) Praetorius, l. c. pp. 269, 271.



-nâ (qatal-nâ), hebraica -nû (qâtal-nû), chaldaica -nâ (q^etal-nâ), syriaca -n vel -nan (q^etal-n v. q^etal-nan). Unde elucet primum, ex affixis sola aramaica a suffixis discrepare, deinde hanc discrepantiam talem esse, ut affixum syriacum etiam formam -nan, ab h^enan ductam, sumpserit, neque Aramaei ejusmodi affixa prim. pers. plur. habeant, in quibus, item ut in suffixis, primum locum *a* vocalis teneat.

Restat, ut de singularum dialectorum praefixis primae pers. plur. loquar. Pauca tamen sunt, quae de eis dici possint. Nam pars eorum praecipua, consonam dico, in omnibus linguis semiticis est *n*, neque vocales hanc sequentes aliter inter se differunt quam eae, quae in praefixis tertiae personae sing. (imperfecti) sunt¹. Haec praefixa (na- v. ni- vel ne-) sine dubio a prioribus, non a posterioribus sonis pronominum sibi respondentium ducta sunt, id quod cum alia comprobant tum ratio linguae assyricae, quippe cujus forma pronominalis hujus generis non in -na, sed in -ni vel -nu (?)² exeat eamque ob rem primos tantum sonos in praefixum na- convertere potuerit.

1) Linguae tamen assyricae praefixum tertiae pers. sing. est i-, primae plur. na- (Oppert l. c. p. 42. Cfr. Schrader, l. c. p. 263).

2) Vid. Schrader, l. c. pp. 244, 245, 249, 252.

III.

Formas separatas, secundam personam significantes, has dialecti semiticae habent: arabica singulares ʔanta masc. gen., ʔanti fem., plurales ʔantum masc., ʔantuña fem., dual. ʔantumâ comm.; aethiopica sing. ʔanta masc., ʔanti fem., plur. ʔantemû masc. ʔanten fem.; hebraica sing. ʔāh, ʔā, ʔā (paus.) masc., ʔat, ʔatī fem., plur. ʔātem masc., ʔāṭēn, ʔāṭēnāh (ʔāṭēnāh) fem.; chaldaica sing. ʔantāh¹ (ʔanth) masc., ʔant (rabb.), ʔat (rabb.) comm., ʔantī² (rabb.) fem., plur. ʔantûn, ʔāṭûn (rabb.) masc., ʔantên (rabb.), ʔāṭên (rabb.), ʔatîn (rabb.) fem.; syriaca sing. ʔant masc. ʔantj fem., plur. ʔantûn masc., ʔantên fem.; — amharica sing. ʔanta masc., ʔanti(e), ʔanti fem., plur. ʔelânt comm.³; tigrensia sing. enta masc., enti, entissi fem., plur. entum comm.⁴; tigrinensis sing. nesʒâ masc., nesʒi fem., plur. n^esâtkûm masc. n^esâtken fem.⁵; mehriensis sing. het comm., plur. tēm, ûtēm masc.; tēm fem.⁶; arab. vulg. sing. énte, ent' masc., entī fem., plur. éntum, éntû; samaritana sing. ʔth masc., ʔtj fem., plur. ʔtvn masc., ʔtjn fem.; as-

1) Gesen. Thes. I, p. 129.

2) Merx. Gr. Syr. p. 165.

3) Isenberg, l. c. p. 43.

4) Beurmann, l. c. p. 79.

5) Praetorius, l. c. p. 154.

6) v. Maltzan (ZDMG. XXV. p. 200).

syrica sing. אֲתָ (Oppert), atta (Schrader) masc., אֲתִי (O.), atti (S.) fem., plur. אֲתִין (O.), attunu (S.) masc., אֲתִין (O.), attina? (S.) fem.; mandaica sing. אֲתָה comm., plur. אֲתָהִין masc.¹; neo-syr. sing. ܐܢܬܐ, ܐܢܬܝܢ comm., plur. ܐܠܝܬܘܢ, ܐܠܝܬܘܢܟܘܢ comm.² Praeterea enumerabo pronomina aegyptiaca secundae personae, quia ad semitica explicanda plurimum conferent. Lingua hieroglyphica igitur has secundae personae formas habet: sing. entuk³ vel (e)ntek⁴ masc., entut³ fem., plur. entuten³, nteten⁴ comm.; demotica sing. ntek, ntûk masc., ntût fem., plur. ntûtén comm.⁴; coptica sing. ntok, ntak, ntk, nthok masc., nto, ntho fem., plur. ntôtn, ntaten, ntatn, nte-ten, ntetn, nthôtn comm.⁵.

De formis dialectorum principalium supra allatis disputanti, mihi eadem via ingredienda est, quam, de pronomibus tertiae et primae personarum agens, secutus sum. Primum igitur formam principalem hujus pronominis indagare, deinde, quae ratio inter hanc formam et ceteras, de quibus tum quaesitum non erit, intercedat, eruere conabor. Sed in hac quaestione ea ratio mihi ineunda est, ut omnes formas masculinas singularis numeri prius tractem, quam feminas ejusdem numeri atque plurales. Nam illae solae, ut infra elucebit, sui juris sunt, hae per analogiam formatae.

Formae separatae hujus pronominis ab eadem voce demonstrativa ܐܢ incipiunt, quam pronomini primae per-

1) Nöldeke, Mundart d. Mand. p. 104.

2) Nöldeke, Neusyr. Gramm. pp. 73, 74.

3) Brugsch, l. c. p. 12; Cfr. Champollion, Grammaire égyptienne, p. 252.

4) Maspero (Journ. As. VI sér. tome XVIII. p. 81, 92).

5) Schwartze, l. c. p. 341.

sonae praefixam esse invenimus. Haec vocula saepe immutata manet, interdum (in diall. hebr., aram., assyr.) cum *t* sequenti in *ṭaṭ-* coalescit, nonnumquam (in diall. nostrorum temporum) attenuata in *ṭen* transit. Qua de voce cum antea dixerim neque nunc habeam quod addam, ad ipsum principium hujus pronominis indagandum transeo.

Atque unus quidem sonorum illius formae principalis est *t*, qui in numeri singularis masculino, de quo hic quaeritur, *a* vocali effertur. Quod vero ad hanc vocalem attinet, cum brevem se plerumque praebet, in dialectis hebraica et chaldaica solis longa sit, vel potius per *ā* et *āh* exprimatur, de mensura ejus primigenia jure ambigi potest. Neque enim ex signis illis hebraicis et chaldaicis quidquam certi colligere licet, cum in dubium vocari possit primum, num *āh* illud hoc loco revera idem quod *ā* valeat ¹⁾, deinde, nonne Arabum (Aethiopumque) *a*, quod natura breve est, *a* longo (= *ā*) Hebraeorum et Aramaeorum aliquando respondeat (cfr. arab. *ṭāmā* = hebr. *šāmāh*). Quae cum ita sint, de hac re certius judicare non antea poterimus, quam alias res, ad hanc quaestionem pertinentes, indagarimus. Dispiciendum est igitur, equod elementum praeter ea, quae attulimus, hoc pronomine contineatur. Nec vero ullum pronomen separatum nobis ostendit. Quod autem viri docti, hac re adducti, aliam consonam atque *t* in forma principali hujus pronominis infuisse negaverunt, certe valde errarunt, ut demonstrant ea, quae inde effecerunt. Nam *k* consonam, quae in omnibus hujus personae suffixis atque affixis aethiopicis inest, ex *t* ortam esse statuerunt. Quae sententia, ut supra satis ostendi, fundamentis tam incertis nititur, ut rejicienda sit. Equidem

¹⁾ Cfr. tamen aff. chald. *-ṭā* conjugg. Paʿel et Aphel.

hanc rem prorsus aliter comparatam esse puto. Cum enim *k* sonum probandum sit et secundae personae peculiarem esse neque in linguis semiticis ex *t* emanasse, jam conjectura assequi possumus, *k* consonam pronomini hujus personae quondam inhaesisse, praesertim cum nil causae sit, cur suffixis secundae personae diversam a ceteris originem tribuamus. Licet etiam concludere, *k* locum suum post *t* habuisse, cum aliis de causis tum maxime, quod, si ita non fuisset, *k* illud particulam *ʿan* in aliqua forma sequi oportebat. Sed haec sententia de sonis principalibus pronominis secundae personae pro rata duci vix posset, si nullum vestigium hujus pronominis ita compositi restaret. Quare in eo nunc pro viribus elaborabo, ut aliquod ejus generis indicium reperiam.

In quo conatu quamvis mihi fines dialectorum semiticarum egredi et ad eas linguas confugere, quae quo vinculo cum semiticis connectantur haud satis exploratum est, non licere videatur, tamen concedi mihi oportet, ut hoc modo a Semitismo recedam, ut ad ejus pronomina personalia explicanda aegyptiaca adhibeam. Nam cognatio pronominum personalium harum linguarum tam aperta est, ut ea, nisi conniveamus, in oculos incurrat¹. Consideremus igitur pronomina aegyptia secundae personae, ut pronomina semitica ejusdem personae uberiores lucem accipiant. In quo cum Aegyptiorum entuk arabico *ʿanta* respondere videamus, quispiam forsitan credat, fore, ut hanc quaestionem facillime jam solvat. Nam primo aspectu

1) Cfr. de cognatione linguarum aegyptiacae et semiticarum Max Müller, Vorles. über die Wissensch. der Sprache, p. 237; Renan, Histoire des langues sémitiques, pp. 83, 84; Benfey, Über das Verhältniss etc. complur. loc.; Id. Geschichte der Sprachwissenschaft, pp. 683, 684; Tegnér, De vocib. primae radicalis *w*, p. 6; al.

Aegyptiorum soni conjuncti entu- vel (e)nte- idem esse videntur atque arabicum ʾanta et tota vox entuk vel (e)ntek, *k* finale e pronomine arabico elisum esse, significare. Neque tamen forma entuk v. (e)ntek, quamquam insignem habet similitudinem cum pronomine arabico (semitico), re vera ei tam arte cognata est. Nam aegyptium entu- v. (e)nte- aliud est atque arab. ʾanta, siquidem etiam tertiae personae pronomini aequae ac secundae praefixum est. Certe igitur illi *t* soni formarum ʾanta et entuk diversae originis sunt. Illius autem ʾan- syllaba et hujus en- nescio an necessitudine quadam inter se junctae sint, quoniam Aegyptiorum numerus pluralis hujus personae praeter formam entu-ten etiam anten¹ (= arab. ʾantum, ʾantuṅa, aeth. ʾantemū, ʾanten) habet eamque ob causam, praefixum an-, semitico ʾan mirum in modum conveniens, illo tu assumpto in entu conversum esse, suspicari licet. Hanc tamen rem, ut quae nihil ad quaestionem solvendam conferat, missam facientes, ipsos sonos principales pronominis aegyptii, de quo agitur, eruere conemur. Atque id quidem perfacile est. Nam cum masculinum numeri sing. forma entu-k indutum sit, femininum entu-t et illius generis suffixum -k sonum habeat, hujus -t², manifestum est, illas *t* et *k* consonas, ut in linguis semiticis, ita in aegyptiaca hoc pronomen constituere. Neque tamen haec res ad sententiam nostram confirmandam sufficit; necesse est id quoque probetur, sonos *k* et *t*, ita conjunctos, ut ille hunc sequeretur, in pronomine aegyptiaco secundae pers. fuisse. Quod ut inveniamus, primum inter se conferamus formas pronominum secundae et tertiae personarum hujus linguae. In quo apparet, sonis masculino -k et fe-

1) Maspero, l. c. p. 81.

2) Brugsch, l. c. p. 10.

minino -t secundae personae masculinum -f vel -v et femininum -s tertiae respondere atque illius personae suffixum et terminationem -ten plur. num. generisque comm. eundem locum quem hujus -sen tenere. Consonae *t* et *s* igitur, quae in numero singulari genus femininum indicant, in plurali ad commune significandum adhibentur. Mireris forsitan, quae ejus rei causa sit, cum notam pluralis numeri, utrique generi communem, a numeri singularis forma masculina mutuari multo magis convenerit quam a feminina. Hunc tamen usum notae femininae simulque rationem, quae inter *k* et *t* sonos secundae pers. intercedit, nos perspecturos esse crediderim, si paulo accuratius formas tertiae personae unamque earum praecipue considerarimus. Haec forma est *su* vel *sû*, generale illud pronomen personale tertiae personae, quod notiones et masculinam et femininam et singularem et pluralem¹ complectitur. Atque haec quidem vox ambo eos sonos continet, qui sunt suffixa tertiae personae sing. Nam quod suffixum masc. gen. est -v, *su* autem *u* vocalem habet, commemoratione dignum vix est, quia *u* et *v* in omnibus linguis quam proxime cognata sunt, adeo ut eadam litera saepe significantur. Quod cum ita sit, illam *su* formam esse fontem, unde suffixa tertiae pers. sing. fluxerint, jure concludere videor, idque eo magis, quia, si id probatur, *s* sonus pluralis num. ejusdem personae aptissime explicari potest, id est ita, ut genus commune ideo significet, quod ipsa forma, unde exstiterit, communis generis sit. Atqui secundae personae suffixa -k, -t, -ten eandem habent inter se rationem ac tertiae personae -v, -s, -sen. Itaque, horum principio aperto, quo modo illa orta sint, colligere

¹) Masperous (l. c. p. 72) huic voculae vim pluralis numeri non tribuit.



possumus, atque ratio *s* soni numeri plur. tertiae pers. rationem *t* soni ejusdem num. secundae pers. demonstrat. Unde efficitur primum, sicut tertiae personae suffixa -*v* masc. gen. et -*s* fem., ita conjuncta, ut hoc illi antecederet, verum hujus personae pronomen *sv* (*su*) effecerunt, ita secundae pers. suffixa -*k* masc. et -*t* fem., eo modo inter se juncta, ut hoc illi praecederet, pronomen quoddam (*tk*) ejusdem personae effecisse; deinde, ut *s* sonus num. plur. tertiae personae ex forma *sv* (*su*) gen. communis ortum est, item *t* consonam num. plur. secundae pers. ad vocem *tk* communis gen. revocandam esse. Quare pro ipsa quasi medulla Aegyptiorum pronominis secundae personae habendum est *tk*, quod incertum est quibus vocalibus praeditum fuerit.

Cum igitur, his rebus ita expositis, appareat primum, ipsas Semitarum linguas ostendere, sonos illos conjunctos *tk*, de quorum vocalibus infra disputabimus, primordia esse pronominis secundae personae, deinde linguam aegyptiacam, cujus pronomina personalia semiticis simillima sunt, idem principium huic pronomini poscere, equidem puto, me, formas secundae pers. indagare pergentem, illo *tk* disputationis fundamento jure meo uti.

Ex his consonis priorem *a* vocali praeditam fuisse eamque etiam plerumque servasse, jam vidimus. Similiter *k* sonus formae masculinae sing. num., de qua hic quaeritur, in plerisque dialectis (arab., assyr.¹, hebr., aeth., tigrin. al.) *a* vocali effertur. Quocirca illud *tk* per *taka* proxime nobis reddendum est. Videamus nunc, utrum longa an brevis fuerit hic utraque *a* vocalis. Ac priorem quidem, de cujus mensura supra nil certi statuere licuit, sonis prin-

1) Oppert, l. c. p. 22; Schrader, l. c. p. 252.

cipalibus hujus pronominis jam erutis, distinctius certe definire possumus. Etenim cum manifestum sit, illud taka ejusdem esse naturae atque primae personae formam principalem tâkû v. tâkî vocesque demonstrativas usitatas dâka, tâka, dâk cet., certe in harum formarum *â* longo satis causae est, cur prius *a* formae taka longum existimemus. Ex hac voce igitur tâka forma restitui potest. Sequitur, ut ejus *a* finale consideremus. De hoc autem quid sentirem jam in priore parte (pp. 61, 62) quodam modo significavi, dicens, ka suffixi *a* sonum fuisse principio longum. In qua sententia quamquam etiam nunc non possum non perstare, eam tamen alio argumento atque antea probandam esse censeo. Nam quod ex longitudine vocalis suffixi feminini sing. hujus pers. id effici putavi, errasse me confiteor, cum haec vocalis, ut infra videbimus, eam vim non habeat, ut, quale fuerit suffixum masculini, inde colligi possit. Nunc mihi huic rei argumento esse videtur primum, quod suffixum masc. sing. secundae pers. in lingua hebraica non kâ solum, verum etiam kâh scribitur¹, quae res, cum sonum finalem -âh vocis hebraicae פֶּאֶה vocalem primitus longam exprimere jam invenerimus, haud parvi est momenti; deinde, quod Aramaei, eidem suffixo, ejus sonos transposuerunt, etiam post formas, quas, cum alia suffixa assumerent, in vocalem non exisse comprobatum est, *â* vocalem (suff. -âk — cfr. suff. tertiae pers. -âh pro -hâ) tribuunt, id quod fieri non posset, si suffixum primigenium *a* brevi terminatum esset; postremo, quod formae principales primae et secundae personarum, quae, ut jam nunc clare apparet, ita inter se opponebantur, ut diversos sonos finales haberent, non potuerunt altera in longum *û* vel *î*

¹) Ps. 139, 5; 1 Reg. 18, 44; Prov. 2, 11.

(tâkû v. tâkî), altera in breve *a* (tâka) exire, quandoquidem ejusmodi formae pronominales inter se oppositae fuisse numquam reapse inveniuntur (cfr. hû et hâ, dâ et dî al.). Sequitur igitur, formam principalem masculini sing. secundae pers., quae forma, ut infra apparebit, ad ceteras quoque species pronominis secundae pers. conformandas valuit, esse tâkâ. Atque hanc vocem apertum est compositam esse ex pronominibus demonstrativis tâ et kâ, de quibus in priore parte¹ jam dixi.

Viam, quam supra significavi, sequenti, nunc mihi, qua ratione diversae formae hujus pronominis ex illa principali ortae sint, exponendum est. Et primum formae singulares masculini generis et separatae et cum aliis vocibus conjunctae explicandae sunt. Nec vero multum de eis dicendum est. Nam separatae, ut primum de his loquar, eodem fere modo (°antâkâ, °antâk, °antâ, arab. et aeth. °anta, hebr. °aṯâh, syr. °ant, chald. °antâh), quo pronomen primae personae (°anâkî, °anâk, °anâ, °ana), procreatae videntur; quamquam vix cuiquam, opinor, continget, ut certo dijudicet, quibus tanquam permutationum gradibus descendentes singulae formae in suum quaeque statum pervenerint. Deinde ejusdem generis suffixa (arab. -ka, aeth. -ka², hebr. -kâ, kâh, aram. -āk, post vocalem longam -k, assyr. -ka), affixa (arab. -ta, aeth. -ka, hebr. -tâ, interdum -tâh, aram. -t, -tâ), praefixa³ (arab. ta-, aeth. te-, hebr. ti-, chald. ti-, syr. te-, assyr. ta-) pro particulis formae principalis non possumus non habere. Neque tamen fieri potest, ut, qualis fuerit forma illa, per se valde mutabilis, cum harum vocularum unamquamque procrearet,

1) pp. 48—49, 55, 61—62.

2) Tigrin. -kâ.

3) Vid. supra, p. 13, 14.

accurate definiamus, praesertim cum formas hujus pronominis recensentibus talis nobis dux desit, quali in formas primae personae inquirentes illo -nî suffixo utebamur.

Venio nunc ad pronominis secundae personae species singulares, quae sunt feminini generis, atque plurales suffixaque et affixa eis respondentia. Quas formas cum consideramus, inter sonos finales earum et formarum tertiae personae ejusdem generis numerique singularem quandam congruentiam intercedere videmus¹. Quae quo clarius appareat, velim inter se conferas arab. ʔantum, ʔantuṅa, -kum, -kuṅa secundae pers. et hum, huṅa tertiae; hebr. ʔaṭem, ʔaṭēn, ʔaṭēnāh, -kem, -ken sec. pers. et hēm, hēn, -hem, -hen tert., femin. ʔaṭī et hī; syr. ʔantûn, ʔantên -kûn, -kên sec. pers. et ʔenûn, ʔenên, -hûn, -hên tert., fem. ʔantj et hī al. Hanc similitudinem non fortuitam esse, sed inde fluxisse, quod altera persona ab altera terminationes mutuata sit, quis est, qui non videat. Neque minus perspicuum est, tertiam personam esse ex se aptam, secundam vero ex illa pendere, siquidem jam demonstravimus, formas principales tertiae personae omnes ejus species ex se genuisse. Quam rationem in secundam non cadere, ʔantum et ʔantuṅa, ut his exemplis utar, ostendunt, quippe quae a sua quodque forma singulari omni ex parte ducta putari minime possint. Femininum tamen sing. numeri nescio an dubitationem cuiquam moveat propterea, quod tam aperte quam formae plurales incremento a tertia persona assumpto se generatum non praebet. Suspicietur forsitan quisquam, illam formam aut eodem modo, quo masculinam, e suo proprio fonte fluxisse aut, a vocali

1) Monendum tamen est, affixa perfecti et multa suffixorum, de quibus hic agitur, pronominibus separatis sec. personae sibi respondentibus maxime congruere. Vid. de hac re infra.

in *i* mutata, ex masculina ortam esse. Quorum si prius probandum esset, certe principium illud, ut, si id cum principio masculini contuleris, apparet, tâkî esse oportebat, id quod plane absurdum est, quoniam tâkî formam principalem primae personae esse jam invenimus. Posteriores vero rationem improbandam puto ob eas causas, quas supra (p. 56—58) attuli, cum de accusativi *a*, num in *i* transiisset, quaerem. Neque tamen nescius sum, posse quodam modo etiam tertiam quandam rationem sententiae meae opponi, eam dico, quod *i* feminini per analogiam procreatum sit, quoniam haec vocalis, *u* vel *a* sono opposita, in pronomibus femininum exprimere solet. Hoc autem specie potius quam re opinioni meae repugnat, siquidem analogiam illam minime rejicio, sed tantummodo ita definitam habeo, ut eam non praebuerit nisi femininum pronominis tert. personae. Atque id sane colligi potest primum, quod secundae personae et masculinum plurale et femininum terminationes suas a tertia persona mutuata sunt, deinde quod haec ipsa feminina, de quibus agitur, sola simul et *i* vocali insignia sunt et omnium linguarum semiticarum communia; unde manifesto apparet, femininum secundae personae sing. non potuisse nisi ex feminino tertiae conformari.

Quibus rebus ita constitutis, pleraeque formae separatae et singulares feminini generis et plurales, explicatione etiam ommissa, ipsae, quo modo ortae sint, declarant. Et ex femininis quidem nulla est, cujus fingendi ratio ex eis, quae supra exposita sunt, intelligi non possit (vid. indicem horum pronominum). Sed ne plurales quidem formae secundae et tertiae personarum multum terminationibus inter se differunt. Velut arabicae ʔantum (interd. ʔantumũ)¹, ʔantuña secundae personae ex hum (humt), huña ter-

¹) Lagus, Ar. Gr. p. 31.

tiae effictae sunt¹, hebraicae װַעַמ , װַעַתֵּן , װַעַתֵּנָּה ex hēm , hēn , hēnāh , chaldaicae װַאַנְתִּין , װַאַנְתֵּן secundum װַיִּנְתִּין , װַיִּנְתֵּן , syriacae װַאַנְתִּין , װַאַנְתֵּן secundum װַעַנְתִּין , װַעַנְתֵּן , aethiopica װַאַנְתֵּמֻ ex װַעַמֻּן - (tū) . Quae cum ita sint, existimandum est, Aethiopum formam femininam װַאַנְתֵּן pluralis num. secundae pers. terminationem $-\text{en}$ a feminino plurali tertiae pers. װַעַמֻּן - (tū) accepisse. Neque mihi dubium videtur, quin similis formandi ratio illi $-\text{en}$ et suffixo feminino tertiae pers. plur. $-\text{hōn}$ (masc. $-\text{hōmū}$) tribuenda sit (vid. p. 37). Quare, ut hoc ab hōmān , hūmān (unde װַעַמֻּן), ita illud ab װַעַמֻּן contrahendo ductum puto.

Sequitur, ut hujus pronominis suffixa singularia feminini gen. atque pluralia considerem. Sunt autem illa in lingua arab. $-\text{ki}$, in aeth. $-\text{kī}$, in hebr. $(-\text{ēk})$, $-\text{ek}$, $-\text{k}$, in chald. $-\text{ēk}$, $-\text{k}$, in syr. $-\text{ekj}$, $-\text{kj}$, in assyr. $-\text{kī}^2$, haec in arab. $-\text{kum}$ masc., $-\text{kuṅa}$ fem., in aeth. $-\text{kemū}$ m., $-\text{ken}$ f., in hebr. $-\text{kem}$ m., $-\text{ken}$ f., in chald. $-\text{kōn}$, $-\text{kōm}$ m., kēn f., in syr. $-\text{kūn}$ m., $-\text{kēn}$ f. Ex his formis femininas certe, quae sunt singularis num., non ex tertiae personae suffixis ejusdem generis numerique, sed ex pronominibus separatim sibi respondentibus conformatas esse, manifesto apparet. Cfr. arab. װַאַנְתִּי et $-\text{ki}$, aeth. װַאַנְתִּי et $-\text{kī}$, assyr. ܘܢܝܢܝܗ et ܘܢܝܗ , syr. װַאַנְתִּי et $-\text{kj}$. Idem pertinet ad suffixa pluralia aeth. $-\text{kemū}$ et $-\text{ken}$, quae partes suas $-\text{emū}$ et $-\text{en}$ ab װַאַנְתֵּמֻ et װַאַנְתֵּן haud dubie acceperunt. Cetera suffixa pluralia possunt illa quidem convenienter suffixis tertiae pers. efficta esse putari (cfr. arab. $-\text{kum}$, $-\text{kuṅa}$ et $-\text{hum}$, $-\text{huṅa}$; hebr. $-\text{kem}$, $-\text{ken}$ et

1) Ita etiam dual. װַאַנְתֵּמָּה ex humā .

2) Oppert, l. c. p. 22.

-hem, -hen; chald. -kôn, -kên et -hôn, -hên; syr. -kûn, -kên et -hûn, -hên; assyr. -kun, -kin et -sun, -sin); sed nescio tamen an potius eisdem legibus, quibus suffixa secundae pers. jam allata, paruerint, praesertim cum, quominus hoc factum esse existimetur, nil re vera impediatur. Ex his omnibus suffixis sola hebraica et aramaica, femininum sing. exprimentia, mutationes habuerunt, quae hic commemoratione dignae videantur. Atque praecipua quidem mutatio eorum ea fuit, ut forma eorum nativa -kî, sonis transpositis, in -îk, i. e. -ik abiret. Quo facto in lingua hebraica illud -ik formam -êk accepit, quae ē sonum, vocali praecedente, amisit (cfr. q^etālā-k, q^etaltî-k, q^etalnû-k al.), post consonam vero aut servavit¹ aut, si syllaba praecedens accentu praedita erat, corripiendo in e convertit (q^etālāt-ek). Idem -ik Chaldaei in -êk mutarunt, Syri in -ek, cui tamen in scribendo hujus suffixi primigeniam literam finalem ʿ apposuerunt (-ekj; cfr. -ihj tertiae pers.). Post vocalem naturam longam illud ē, e in utraque lingua elisum est (cfr. chald. qatlû-k, syr. qatlû-kj).

Restat, ut de affixis verbalibus secundae personae nonnulla dicam. Quamquam ex his sola perfecti affixa considerare opus est, quia imperfecti terminationes singulares hujus personae (-îna, -în, -î) jam supra (p. 15—16) explanatae sunt, plurales vero finibus tertiae personae sibi respondentibus omnino congruunt². Ac perfecti quidem affixa, de quibus

1) Quamquam incertum est in formis, quales sunt sūsêk, sūsâtêk, jiqtlêk, ē sonus utrum ipsius vocabuli an suffixi pars sit.

2) Terminationes imperativi cum imperfecti in dialectis semiticis principalibus conspirant, nisi quod imperfecti terminationem femininam -ân (-ân) in imperativo Chaldaei in -nâ transponendo verterunt, Syri altero exitu feminino, num. plur. exprimente, i. e. -ên, mutarunt.

nunc quaeritur, singulae dialecti habent haec: arab. sing. -ti fem. gen., plur. -tum m. -tuña f.; aeth. sing. -kî f., plur. -kemû m., -ken f.; hebr. sing. -t (ante suff. -tî) f., plur. -tem (ante suff. -tû) m., -ten f. (suffixo non conjugitur); chald. sing. -t (ante suff. -tî) f., plur. -tûn m., -tên f.; syr. sing. -tj (ante suff. -tî) f., plur. -tûn (-tûnâ-) m., -tên (-tênâ-) f. Quae affixa cum inspicimus, omnia, exceptis aethiopicis, ad similitudinem formarum separatarum, quibus respondent, ficta esse videmus, idque sic, ut etiam harum *t* sonum sibi adsciverint. Aethiopicae autem linguae affixa easdem atque suffixa ejus habent formas, neque dubium est, quin eodem ipso modo, quo haec, generata sint. Insuper mihi pauca addenda sunt de affixo hebraico -tû, quod ante suffixa pro -tem usurpatur. Namque hoc affixum ostendit, vetustissimas esse terminationes, quas hic quaesivimus, quandoquidem ea linguae aetate natum est, qua formae illae *pātem* et *hēm ū* vocali etiam tum praeditae essent.

Haec habui, de pronomibus personalibus semiticis praecipueque arabicis quae dicerem. In quibus absolvendis etiamsi me multas res non recte intellexisse, multas, quas non debuerim, silentio praeteriisse, multas etiam inconsulte finxisse deprehenderis, tamen spero fore, ut me operam in his rebus non omnino frustra posuisse concedas. Atque haec me spes tenet, quia me veri investigandi cupidum nihil, nisi quod verum esse putarem, dixisse mihi conscius sum. Equidem non negaverim, me opinione quadam praejudicata ductum de his rebus exposuisse, ea dico, quae formas linguae variantes censet omnes ex uno quasi fonte fluxisse; nam hac sententia rejecta, quorsum

spectet comparatio linguarum, plane nescius sum. Neque vero pluribus formis unam tribui originem, nisi earum rationem sonorum id pati mihi persuasum erat. Atque quod ad summam hujus disputationis attinet, nescio an tam simpliciter breviterque proponi possit, vix ut quisquam in ea inveniatur, quod a veritate absonum videatur. Namque sex omnino esse stirpes pronominum personalium demonstravi, unde omnes eorum formae et separatae et aliis vocibus conjunctae emanarint. Quae quidem stirpes, in personas descriptae, hae sunt: havama, hvama, hjama tertiae personae propriae, tâkû et tâkî primae, tâkâ secundae. Denique, ad ea respiciens, quae in priore parte totius hujus dissertationis de radicibus pronominum exposui, facere non possum, quin parva illa initia, unde tota horum pronominum varietas profecta esse videatur, significem. Nam in tertiae personae pronomibus inesse verisimile est radices ta et ma, in primae et secundae ta et ka. Licet igitur colligere, ta + ma et ta + ka, inter se opposita, personas absentem et praesentem distinxisse, ta + ka vero, diversis modis conformatum praefixoque auctum, species et primae et secundae personarum ex se genuisse.



Index formarum.

Arabicae:

- a- praef. imperf. p. 13, 14, 79, 80.
-a term. acc. 21, 51, 56, 60, 61.
-aⁿ term. acc. 21 sq., 30, 51, 60, 61.
-an term. energ. II. 38, 39, 48, 49.
-aⁿa term. energ. I. 38, 39, 48, 49.
◦aⁿa conj. 23, 39, 48, 49.
◦anâ pron. 1 p. sg. 71 sqq., 77.
◦anta pron. 2 p. sg. m. 21, 87 sqq., 94.
◦anti pron. 2 p. sg. f. 95, 96.
◦antum pron. 2 p. pl. m. 95, 96.
◦antumâ pron. 2 p. dual. 97.
◦antuña pron. 2 p. pl. f. 95, 96.
-hâ suff. 3 p. sg. f. 19, 20, 23, 24, 36.
hija pron. 3 p. sg. f. 10, 19, 20 sqq.
-hu suff. 3 p. sg. m. 36.
hum pron. et suff. 3 p. pl. m. 29, 36.
humâ pron. 3 p. dual. 30.
humû pron. 3 p. pl. m. 8, 11, 12, 16, 29, 63.
huña pron. et suff. 3 p. pl. f. 31, 36.
huva pron. 3 p. sg. m. 10, 17, 18 sqq.
-i term. gen. 55 sqq., 60, 61.
-î, -ija, -ja suff. 1 p. sg. 76, 77, 78.
-ij sign. nom. rel. 55 sqq.
-iⁿ term. gen. 55 sqq., 60, 61.
◦in- praef. conjug. VII 46.
- iⁿa particula 49.
-îna aff. f. 2 p. sg. imperf. 14, 15, 16, 23, 47, 98.
-îna term. pl. 64, 68.
ja- praef. 3 p. 13, 14, 46.
-ka suff. 2 p. sg. m. 94, 95.
-ki suff. 2 p. sg. f. 97.
-kum suff. 2 p. pl. m. 95, 97, 98.
-kuña suff. 2 p. pl. f. 95, 97, 98.
na- praef. 1 p. pl. 13, 14, 85.
-na aff. pl. f. 63.
-nâ suff. 1 p. pl. 82.
-nâ aff. 1 p. pl. 84, 85.
nahnu pron. 1 p. pl. 81.
-nî suff. 1 p. sg. 73, 78.
ta- praef. 2 p. 13, 14, 80, 94.
-ta aff. 2 p. sg. m. 94.
-ti aff. 2 p. sg. f. 99.
-tu aff. 1 p. sg. 75, 76, 78.
-tum aff. 2 p. pl. m. 99.
-tuña aff. 2 p. pl. f. 99.
-u term. nominat. 21, 51, 60, 61.
-û aff. pl. m. 63.
-uⁿ term. nominat. 21, 22, 23, 51, 60, 61.
-ûna aff. pl. m. 22, 23, 63—66.

Aethiopicae:

- a term. acc. 52.
-a term. st. estr. 60.
-â aff. pl. f. 63.
- ân term. pl. m. 28, 67, 68.
◦ana pron. 1 p. sg. 71, sqq., 77.
◦anta pron. 2 p. sg. m. 87 sqq., 94.

- ʔantemû pron. 2 p. pl. m. 95—97.
 ʔanten pron. 2 p. pl. f. 97.
 ʔantî pron. 2 p. sg. f. 95, 96.
 ʔe- praef. 1 p. sg. 79, 80.
 -e term. nominat. 52, 55, 60.
 -e vocal. connex. 55.
 ʔemântû pron. 3 p. pl. f. 8, 11, 24, 31.
 ʔemûntû pron. 3 p. pl. m. 8, 11, 12, 16, 29.
 -hâ term. acc. 21, 30, 52, 61.
 -hâ suff. 3 p. sg. f. 19, 36.
 -hômû suff. 3 p. pl. m. 29, 36, 37.
 -hôn suff. 3 p. pl. f. 37.
 -hû suff. 3 p. sg. m. 36.
 -î aff. f. 2 p. sg. imperf. 16, 47, 98.
 -î sign. nom. rel. 57.
 -ja suff. 1 p. sg. 77, 78.
 je- praef. 3 p. 46.
 jeʔetî pron. 3 p. sg. f. 8, 9, 10, 19, 20 sqq.
- ka suff. 2 p. sg. m. 94.
 -ka aff. 2 p. sg. m. 94.
 -kî suff. 2 p. sg. f. 97.
 -kî aff. 2 p. sg. f. 99.
 -kemû suff. 2 p. pl. m. 97.
 -kemû aff. 2 p. pl. m. 99.
 -ken suff. 2 p. pl. f. 97.
 -ken aff. 2 p. pl. f. 99.
 -kû aff. 1 p. sg. 78.
 -na suff. 1 p. pl. 82.
 -na aff. 1 p. pl. 84.
 ne- praef. 1 p. pl. 85.
 nelina pron. 1 p. pl. 81.
 -nî suff. 1 p. sg. 73, 78.
 te- praef. 2 p. 94.
 -û aff. pl. m. 63.
 veʔetômû pron. 3 p. pl. m. 8, 37.
 veʔetôn pron. 3 p. pl. f. 8, 37.
 veʔetû pron. 3 p. sg. m. 8, 9, 10, 17, 18 sqq., 25.

Hebraicae:

- ā vocal. connex. 37, 54.
 -āh locale 52.
 -āh cohort. 48.
 -āh suff. 3 p. sg. f. 36.
 -ām term. pl. 67 sq.
 -ām suff. 3 p. pl. m. 40, 41.
 -ān suff. 3 p. pl. f. 40, 41.
 -an aff. imperf. 38, 48.
 ʔanahnû pron. 1 p. pl. 81.
 ʔanî pron. 1 p. sg. 73.
 ʔanōkî pron. 1 p. sg. 21, 25, 72 sqq., 77.
 ʔanû pron. 1 p. pl. 80, 81.
 ʔatāh, ʔatā pron. 2 p. sg. m. 87 sqq., 94.
 ʔat, ʔatî pron. 2 p. sg. f. 95, 96.
 ʔatem pron. 2 p. pl. m. 95—97.
- ʔatēn pron. 2 p. pl. f. 95—97.
 ʔe- praef. 1 p. sg. 79, 80.
 -ē vocal. connex. 37—39, 47, 54, 55, 59.
 -ēk, -ek suff. 2 p. sg. f. 98.
 -en aff. imperf. 38, 39, 47.
 -hā suff. 3 p. sg. f. 36, 40.
 hēm, hēmāh pron. 3 p. pl. m. 30.
 -hem suff. 3 p. pl. m. 40, 41.
 hēn, hēnāh pron. 3 p. pl. f. 30.
 -hen suff. 3 p. pl. f. 40, 41.
 hîʔ pron. 3 p. sg. f. 19, 20 sqq.
 hin praef. conjug. Niphal. 46, 47.
 -hû suff. 3 p. sg. m. 36.
 hûʔ pron. 3 p. sg. m. 17, 18 sqq.
 -î term. st. cstr. 59.
 -î suff. 1 p. sg. 76, 78.

- î aff. f. 2 p. sg. imperf. 15, 16, 47, 98.
 -î signum nom. rel. 55—57.
 -îm term. pl. m. 67—68.
 ji- praef. 3 p. 46.
 -kâ suff. 2 p. sg. m. 93, 94.
 -kem suff. 2 p. pl. m. 95, 97, 98.
 -ken suff. 2 p. pl. f. 95, 97, 98.
 -m suff. 3 p. pl. m. 40.
 -mô suff. 3 p. pl. m. 40, 41.
 -n suff. 3 p. pl. f. 40.
 -nâh aff. pl. fem. 28, 63.
 ni- praef. 1 p. pl. 85.
 -nî suff. 1 p. sg. 73, 78.
- nû suff. 1 p. pl. 82.
 -nû aff. 1 p. pl. 85.
 -ô term. st. cstr. 60.
 -ô, -ôh suff. 3 p. sg. m. 37.
 -tâ aff. 2 p. sg. m. 94.
 -t, -tî aff. 2 p. sg. f. 99.
 -tem aff. 2 p. pl. m. 99.
 -ten aff. 2 p. pl. f. 99.
 ti- praef. 2 p. 94.
 -tî aff. 1 p. sg. 75, 76, 78.
 -tû aff. 2 p. pl. 99.
 -û term. st. cstr. 59.
 -û aff. pl. m. 28, 30, 63.
 -v suff. 3 p. sg. m. 37.

Chaldaicae:

- â term. st. emph. 61, 62.
 -â aff. 3 p. pl. f. 63.
 -âh suff. 3 p. sg. f. 36, 45.
 -ai sign. nom. rel. 55—57.
 -âk suff. 2 p. sg. m. 93, 94.
 -ân aff. pl. fem. 63.
 ʾanâ pron. 1 p. sg. 71. sqq., 77.
 -anâ suff. 1 p. pl. 82—84.
 ʾanalinâ pron. 1 p. pl. 81.
 ʾantâh pron. 2 p. sg. m. 87 sqq., 94.
 ʾantên pron. 2 p. pl. f. 95—97.
 ʾantî pron. 2 p. sg. f. 95, 96.
 ʾantûn pron. 2 p. pl. m. 95—97.
 ʾe- praef. 1 p. sg. 79, 80.
 -êh suff. 3 p. sg. m. 44, 45.
 -êk suff. 2 p. sg. f. 98.
 -êt aff. 1 p. sg. 78, 79.
 -hâ suff. 3 p. sg. f. 36, 45.
 -hên suff. 3 p. pl. f. 45, 46.
 -hî suff. 3 p. sg. m. 27, 42.
 hî̄ pron. 3 p. sg. f. 19, 20 sqq.
 hîmôn, hîmô pron. 3 p. pl. m. 11, 29.
 -hôn suff. 3 p. pl. m. 45, 46.
 hû̄ pron. 3 p. sg. m. 17, 18 sqq.
 -î suff. 1 p. sg. 76, 78.
- iñ aff. imperf. & imperat. 38—39, 47, 49.
 -îñ aff. f. 2 p. sg. imperf. 15, 47, 98.
 -îñ term. pl. m. 67, 68.
 -iñân suff. 3 p. pl. f. 35, 36.
 ʾiñên, ʾiñîn pron. 3 p. pl. f. 7, 8, 11, 31—35.
 -iñên suff. 3 p. pl. f. 35, 36.
 ʾiñûn pron. 3 p. pl. m. 7, 8, 11, 29.
 -iñûn suff. 3 p. pl. m. 36.
 ji- praef. 3 p. 46.
 -kên suff. 2 p. pl. f. 97, 98.
 -kôn suff. 2 p. pl. m. 97, 98.
 -nâ suff. 1 p. pl. 82 sq.
 -nâ aff. 1 p. pl. 85.
 -nân suff. 3 p. pl. f. 34, 35, 36.
 -nên suff. 3 p. pl. f. 34, 35, 36.
 ni- praef. 1 p. pl. 85.
 -nî suff. 1 p. sg. 73, 78.
 -t (-tâ) aff. 2 p. sg. m. 88, 94.
 -t, -tî aff. 2 p. sg. f. 99.
 -tên aff. 2 p. pl. f. 99.
 ti- praef. 2 p. 94.
 -tûn aff. 2 p. pl. m. 99.
 -û, -ûn aff. pl. m. 63.

Syriacae:

- â term. st. emph. 61, 62.
 -āh (-hâ) suff. 3 p. sg. f. 36, 43, 45.
 -ājâ sign. nom. rel. 57.
 -āk suff. 2 p. sg. m. 94.
 -an suff. 1 p. pl. 82—84.
 -ān(ā) aff. pl. f. 22, 23, 63.
 °anānan pron. 1 p. pl. 81.
 -anj suff. 1 p. sg. 84.
 °ant pron. 2 p. sg. m. 87 sqq., 94.
 °antēn pron. 2 p. pl. f. 32, 95—97.
 °antj pron. 2 p. sg. f. 95, 96.
 °antûn pron. 2 p. pl. m. 95—97.
 °e- p. p. 1 p. sg. 79, 80,
 -eh suff. 3 p. sg. m. 12, 16, 44, 45.
 -ekj suff. 2 p. sg. f. 98.
 °enâ pron. 1 p. sg. 71 sqq., 77.
 -ēn(ā) aff. 3 p. pl. f. 32—35, 63.
 °enēn pron. 3 p. pl. f. 7, 8, 11,
 31—35, 64.
 °enûn pron. 3 p. pl. m. 7, 8, 11 sq.,
 29.
 -et aff. 1 p. sg. 78, 79.
 -hēn suff. 3 p. pl. f. 32 sq., 45, 46.
 henēn pron. 3 p. pl. f. 8, 31—35.
 henûn pron. 3 p. pl. m. 8, 12, 16, 29.
 hî pron. 3 p. sg. f. 19 sqq.
 -hj suff. 3 p. sg. m. 42 sqq.
 hû pron. 3 p. sg. m. 17, 18 sqq.
 -hûn suff. 3 p. pl. m. 45, 46.
 hēnan pron. 1 p. pl. 81.
 -î addit. imperf. & imperat. 38, 39,
 44, 47.
 -ihj suff. 3 p. sg. m. 42, 43.
 -în term. pl. m. 67, 68.
 -în aff. f. 2 p. sg. imperf. 15, 47, 98.
 -j (-î) suff. 1 p. sg. 76, 78.
 -kēn suff. 2 p. pl. f. 32, 95, 97, 98.
 -kûn suff. 2 p. pl. m. 95, 97, 98.
 -n suff. 1 p. pl. 82.
 -n, -nan aff. 1 p. pl. 85.
 ne- praef. 3 p. 14, 46.
 ne- praef. 1 p. pl. 85.
 -nj (-nî) suff. 1 p. sg. 73, 78.
 -t (-tā) aff. 2 p. sg. m. 43, 94.
 te- praef. 2 p. 94.
 -tj (-tî) aff. 2 p. sg. f. 99.
 -tēn aff. 2 p. pl. f. 32, 99.
 -tûn aff. 2 p. pl. m. 99.
 -ûn(ā) aff. pl. m. 22, 63.
 -vhj suff. 3 p. sg. m. 42.

Corrigenda:

in priore parte

(praeter ea, quae jam annotata sunt):

- P. 16 l. 7 lege saḥavv
» 25 » 2 » ḏ
» 27 » 6 » שלהבת
» 28 » 2 » hif'il
» 28 » 3 » 'af'ala
» 28 » 28 » ש'הר vel ה'ר
» 29 » 17 » 'ersevâ
» 34 » 23 » kāsēr et 'asēr
» 37 » 20 » שְׁמִיהַ תָּמִן
» 39 » 22 » qalalahat
» 42 » 12 » him-ôn
» 53 » 26 » medīnāt medi-
» 54 » 30 » hejal
» 62 » 25 » dēki
» 64 » 31 » (n)t
» 66 » 21 » 'ē-īeh
» 67 » 8 » n et l
» 68 » 17 » ש'הר v. ה'ר
» 70 » 13 » ('ē)-īeh

in hac sectione:

- P. 8 l. 3 lege henên
» 14 » 21 » naḥnu
» 18 » 26 » illud hûm
» 33 » 23 » postremo nil
» 43 » 22 » qetûlah
» 48 » 21 » qim-

Corrigenda

10 - 18 - (5) - 10
11 - 11 - 11
12 - 12 - 12
13 - 13 - 13
14 - 14 - 14
15 - 15 - 15
16 - 16 - 16
17 - 17 - 17
18 - 18 - 18
19 - 19 - 19
20 - 20 - 20
21 - 21 - 21
22 - 22 - 22
23 - 23 - 23
24 - 24 - 24
25 - 25 - 25
26 - 26 - 26
27 - 27 - 27
28 - 28 - 28
29 - 29 - 29
30 - 30 - 30
31 - 31 - 31
32 - 32 - 32
33 - 33 - 33
34 - 34 - 34
35 - 35 - 35
36 - 36 - 36
37 - 37 - 37
38 - 38 - 38
39 - 39 - 39
40 - 40 - 40
41 - 41 - 41
42 - 42 - 42
43 - 43 - 43
44 - 44 - 44
45 - 45 - 45
46 - 46 - 46
47 - 47 - 47
48 - 48 - 48
49 - 49 - 49
50 - 50 - 50
51 - 51 - 51
52 - 52 - 52
53 - 53 - 53
54 - 54 - 54
55 - 55 - 55
56 - 56 - 56
57 - 57 - 57
58 - 58 - 58
59 - 59 - 59
60 - 60 - 60
61 - 61 - 61
62 - 62 - 62
63 - 63 - 63
64 - 64 - 64
65 - 65 - 65
66 - 66 - 66
67 - 67 - 67
68 - 68 - 68
69 - 69 - 69
70 - 70 - 70
71 - 71 - 71
72 - 72 - 72
73 - 73 - 73
74 - 74 - 74
75 - 75 - 75
76 - 76 - 76
77 - 77 - 77
78 - 78 - 78
79 - 79 - 79
80 - 80 - 80
81 - 81 - 81
82 - 82 - 82
83 - 83 - 83
84 - 84 - 84
85 - 85 - 85
86 - 86 - 86
87 - 87 - 87
88 - 88 - 88
89 - 89 - 89
90 - 90 - 90
91 - 91 - 91
92 - 92 - 92
93 - 93 - 93
94 - 94 - 94
95 - 95 - 95
96 - 96 - 96
97 - 97 - 97
98 - 98 - 98
99 - 99 - 99
100 - 100 - 100







D. Le 985

ULB Halle

3/1

000 874 175



56



